



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio X. De Compositione continui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO X.

271

singularis, quod enim inter hæc medium? Nullum autem est fundamentum identificandi quantitatem substantiæ, imò propter rationes adlatas, oppositum convinci debet. Et certè maiorem habet connexionem cum ratione entis existentis, quantitas discreta, præ quantitate permanenti. Hinc etiam Ens spirituale, non potest non habere quantitatem discretam, hoc est rationem unius, possibile autem est rem existentem, quantitate permanenti carere, ut de facto eà carent spiritualia.

SECUNDA PARITAS. Quantitas successiva v. g. tempus, non distinguitur à motu, Ergò nec quantitas.

RESPONDETUR disparitatem esse, quia in definitione temporis ponitur motus; & tempus, præter motum, est mera moralitas:

esse autem extensum, est quid Physicum; nec definitivè quantitas, est substantia.

TERTIA PARITAS est. Intensio non est distincta à re intensa, Ergò nec extensio à re quanta.

RESPONDETUR. Nec intensio à qualitate, nec extensio aliàs explicata, à quantitate distinguitur; cum hoc tamen stat, ut sicut qualitas à intensa, ita & quantitas à substantia, distinguatur.

OBJICITUR V. Possibilis est quantitas identificata, nec est ratio, cur non sit de facto identificata. Ergò.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de qualitate identificata, aut quocunque alio accidenti. Quicquid sit de possibili, quòd de facto non sit identificata, probant rationes adlatæ.

DISPUTATIO X.

DE COMPOSITIONE CONTINUI.

OB dicenda infra, aliter titulus formari deberet, sed loquendum est cum multis.

PRÆMITTO Notionem terminorum in hac materia usitatorum, dum loquimur de partibus quantitatis, ejusque compositione.

PRIMUS TERMINUS. *Partes aliquotæ.* Per aliquotas partes, intelliguntur partes, quarum unaquæque nihil accipiendo de parte altera, una cum aliis sibi æqualibus, aliquam extensionem certam conficit. v. g. in ligno tripalmari, unusquisque palmus, est pars aliquota, nam unusquisque nihil participando de alio palmo, tripalmare quantum constituit. Vocantur insuper hæ partes, æquales uni certæ.

SECUNDUS TERMINUS. *Partes proportionales,* quæ nihil aliud sunt, quàm partes, quæ ex aliquo quanto diviso, proportionaliter minores & minores accipiuntur. v. g. si ex uno palmo, semipalmi, ex semipalmis, medietates, ex medietatibus, alia minora dimidia, accipiuntur &c. Vocantur autem proportionales, quia quæ est proportio illarum duarum inter se, illa proportio est aliorum duorum, ex quibus accipiuntur. Nam sicut semipalmi duo, constituunt palmum, ex quo accipiuntur, ita duo palmi, constituunt bipalmare, ex quo itidem accipiuntur.

Nihilominus rigorosè loquendo semipalmi si comparentur ad palmum, possunt dici partes proportionales, accipiuntur enim ex palmo, sed comparati inter se bene dici possunt partes aliquotæ, tam enim in bipalmari, duo palmi de se non participant, quàm in palmari.

Hæ ipsæ vocantur *Communicantes*, quia una participat ex alia, ut semipalmi ex palmo.

Vocantur item *Inæquales*, quia nonnisi minores & minores accipi possunt. Hinc ex uno

palmo non possunt accipi duo palmi, sed duo semipalmi, quorum unusquisque singillatim acceptus, minor est palmo.

Vocantur item *Indeterminate*, non quod non habeant esse suum certum, & determinatum à parte rei, si enim sunt à parte rei, determinatæ sunt, nihil enim indeterminatum existit: Sed vocantur indeterminatæ, quia scilicet in sententia Aristotelica, nulla illarum, ita est determinatæ & limitatæ parvitas, ut illa minor dari non possit. Et ita semipalmi sunt partes indeterminatæ, non determinantur enim, quin in alias medietates minores dividi possint, & hæ in alia dimidia, & sic in infinitum.

TERTIUS TERMINUS. *Indivisibile* seu punctum, cujus pars ut inquit Euclides nulla est.

QUARTUS TERMINUS. *Linea*, quæ est ex Euclide Longitudo latitudinis expers.

QUINTUS TERMINUS. *Superficies* est ea, quæ longitudinem latitudinemque tantum habet. Hoc prænotato. *Sic.*

QVÆSTIO I.

De Continui permanentis Compositione in aliorum sententia.

DUas potissimum sententias in præsentia examinabimus. **PRIMO** an Continuum permanens componatur ex indivisibilibus? quæ sententiam defendit Zeno, ex recensioribus Arriaga, Herize, Toletus & alii. **SECUNDO** an componatur ex partibus proportionalibus, in infinitum divisibilibus? quæ sententia tribuitur Aristoteli estque communis. Posset etiam examinari, an componantur ex punctis inflatis? sed eam apud alios impugnata vide.

DIFFICULTAS I.

Componiturne ex indivisibilibus?

DICENDUM EST. *Non Componi.* Pro-
bant id & Philosophica & Mathematica
argumenta, quæ defendi indigent, propter re-
sponſiones à recentioribus excogitatas.

Punctum Difficultatis I.

Proponitur primum fundamentum Philosophicum.

PROBATUR primò Conclusio. Indivi-
sibile additum indivisibili, non facit majus.
Ergò nec componit quantum. Antecedens
probat. Si indivisibile additum indivisibili,
faceret majus, deberet unum indivisibile, tan-
gere aliud, hoc ipso enim, si non tangeret, con-
tinuum non esset. Sed indivisibile, non potest
tangere aliud indivisibile, quod probatur; Si
indivisibile tangeret aliud indivisibile, tange-
ret illud vel se toto, vel aliquâ sui parte, nullo
autem modo tangere potest. Quia si tangeret
aliquâ sui parte, indivisibile haberet partes,
quod est contra definitionem: Si etiam tan-
geret se toto, penetrarent se illa indivisibilia,
quia quæ se tangunt, se totis, penetrant se, se
totis.

CONFIRMATUR ex recentiori Suar.
Indivisibile additum alteri indivisibili, in ordi-
ne ad faciendam lineam, & faceret & non fa-
ceret globum; non faceret, quia constitue-
ret lineam, hæc autem est longa, faceret etiam
globum, quia secundum, aut ambiret totum
primum punctum, aut partem: Non totum,
quia globum faceret; non partem, quia indi-
visibile caret partibus.

CONFIRMATUR ex Pontio. Quia si
duo indivisibilia immediatè juxta se posita, oc-
cuparent plus spatii, quàm unum, si superad-
datur tertium, vel deberet immediatè se habe-
re ad primum indivisibile, vel non deberet: Si
deberet se immediatè habere; Ergò non oc-
cuparet plus spatii quàm secundum, conse-
quenter nec secundum, plus occuparet spatii,
quàm primum; Si autem tertium indivisibile,
non deberet se immediatè habere ad primum;
Ergò non tangeret illud, quod tangit primum,
secundum eandem partem, & sic non imme-
diatè tangeret, secundum indivisibile, quod
tangitur à primo, contra hypothesin.

RESPONDERUNT primò huic argu-
mento Arriag. & Oviedo, quòd scilicet pun-
cta tangant se totis, non tamen se penetrent,
quia sunt sibi tantum immediata. Aliud au-
tem est unum esse immediatum alteri, aliud
penetrari cum illo, quia ad hoc ut unum sit im-
mediatum alteri, sufficit quod nullum inter-

cedat spatium inter illa, ut autem unum pene-
tretur cum alio, est necesse, ut penetrata sint
in eodem spatio, & æquè distent, à quocunq;
alio corpore, quod non accidit, si quantitas
componatur ex punctis. Demus enim lineam
4. punctorum. Primum punctum & secun-
dum immediata sunt, tamen diversam habent
distantiam respectu quarti, quia secundum
punctum, tantum distat à quarto interjectione
unius puncti, primum autem à quarto distat
interjectione duorum punctorum. Addunt
quòd quando primum punctum, tangit secun-
dum se toto, quamvis idem punctum secun-
dum, tangatur à tertio se toto, non tamen ter-
tium tangitur à primò, quia licet tam primum
quàm tertium, tangerent idem punctum, secun-
dum idem, secundum inquam entitatem, illud
tamen tangunt per diversa latera. Quod au-
tem quodcunq; indivisibile habeat diversa
latera, probant id tum auctoritate Aug. Lib. 2.
de Libero Arbitr. C. 8. tum variis imaginatio-
nibus. Supponunt moveri indivisibile versus
orientem, & tunc divisibile occupat spatium
immediatum, quod occupabat Corpus, & ex
illo spatio pellit Corpus. Si autem moveatur
versus occidentem, tunc indivisibile occupat
spatium immediatum, quod occupabat cor-
pus aliud, & ex illo spatio pellit illud. Ergò
indivisibile, habet diversa latera extrinseca, ra-
tione quorum, ab illis immediatis corporibus
tangitur, quod etiam alia imaginatione exem-
plificant ejusdem roboris.

IMPUGNAT hanc responſionem recen-
tior Suar. & dicit hic n. 73. quia quæ secundum
se tota tanguntur, sunt in eodem loco pene-
trativè. Sed hoc ipsum est quod negant, im-
pugnariq; debuit. *Hinc aliter*

CONTRA primò est. Si manus divisi-
lis tangat aliam manum secundum se totam,
rectè inferitur, Ergò se penetrant; consequen-
ter sequitur, illas non tantum esse sibi imme-
diatas, sed & penetratas. Ergò etiam, si pun-
ctum tangat se toto aliud punctum, seu indivi-
sibile, benè inferetur, Ergò se penetrant, con-
sequenter sequetur, ea non tantum esse sibi
immediata, sed & penetrata. Consequentia
probat. Ideò Antecedens est verum, quia
una manus, toti alteri est intima, non tantum
exterioribus illius, sed etiam unum punctum,
est intimum toti alteri, & non tantum extero-
ribus illius. Ergò utrobique est penetratio.

Eadem principalis consequentia sic proba-
tur ex verbis ipsiusmet Arriaga. Ideò in casu
Antecedentis fieret penetratio, quia pars inte-
rior nò posset tangi ab altero corpore, nisi hoc
anterioriorem partem penetraret. Ergò etiam
quando punctum, toto se tangitur ab alio pun-
cto, nequit hoc fieri, sine penetratione: quia
sicut se habet, id quod habet partes anteriores
& interiores, tangiturq; secundum partes an-
teriores,

teriores, & interiores, ex hocque penetratio sequitur, sic sequetur & in presenti, quia etiam tangitur totum punctum; interioritas enim, vel exterioritas partium, nil confert ad penetrationem: hinc duo Angeli penetrarent se, quantumvis nullas haberent partes, casu quo se totis tangant se, præcipue cum non detur ullum impeditivum penetrationis superadditum, de quo aliàs.

CONTRA secundò. Concesso quòd puncta habeant diversa latera, non sequitur posse unum punctum, secundum unum latus tangi, non tangi secundum aliud. Quæ propositio est immediatè opposita doctrinæ utriusque. Ea verò sic probatur. In eo est contactus puncti, quod est entitas puncti, latera non sunt entitas puncti, Ergò in lateribus non est contactus. Ergò defectus penetrationis, non debet salvari per tactum, ex uno latere, & non ex omni. Major conceditur ab oppositis, nominatim ab Ovied, hic Punct. 8. n. 5. Minor est etiam eorundem, dicunt enim hæc latera esse extrinseca puncto. Rursus latera illa, in re sunt eadem entitas puncti, cum diversis prædicatis connotatis, quomodo ergò poterit fieri contactus Physicus, unius lateris, quin fiat contactus aliùs lateris, physicè loquendo?

CONTRA tertio. Demus duo puncta penetrare se, quid habent illa penetrata, præ illis, quæ se tangunt totis? Dices eundem locum: Quæro ulterius, quæ duo habent eundem locum, quid plus habent præ istis, quæ se tangunt totis? quareque non sequitur illa esse in eodè spatio imaginario? præcipue cum nihil adhuc superaddatur impeditivum penetrationis.

RESPONDENT secundò, retorquendo argumentum. Quando superficies manus tangit superficiem aliùs manus, non se penetrant illæ superficies, nec secundum totum, nec secundum partem; idque ideo, quia sunt sibi nonnisi immediatæ, & non respondet illis, idem spatium loci imaginarium. Ergò etiam, quando punctum tangit aliud punctum, non erit necesse illa puncta penetrari.

IMPUGNAT. Pontius hanc responsionem, dicitque etiam superficies manuum se penetrare, ex quo sequitur, etiam illa puncta se penetrare, hocque dicit voluisse Aristotelem, dum ait: Contigua esse, quorum extrema sunt simul, hoc est in eodem loco. *Hec impugnatio.*

NON SATISFACIT. Quia repugnat universaliter penetratio duarum rerum quantum. Deinde si se superficies manuum penetrant, totæ manus se penetrabunt. Quod ipsum probatur. Quando se primæ superficies penetrant, necessariò secundæ se contingent, nam superficies manus B. erit in loco, ubi est superficies manus A. Ergò si superficies manus A. tangit superficiem suam secundam, etiam

superficies B. quæ est in eodem loco, cum superficie manus A. idque beneficio penetrationis, continget eandem secundam superficiem. Quod si se contingent secundæ superficies, vel se penetrabunt vel non? Si non penetrabunt, cur non? cum se penetrent primæ; Si autem secundæ superficies se penetrabunt, totæ manus se penetrabunt. *Sed*

CONTRA hanc responsionem est. Quia quando una manus tangit aliam, tangunt se illæ, quoad extremitates nonnisi, quæ autem se tangunt nonnisi quoad extremitates, non se penetrant, & si se tangerent totæ, ita sicut se tangunt secundum extremitates, penetrarent se. Cum ergò in punctis nullæ sint extremitates, necessariò si se tangunt, penetrant se. Quare autem ipsa extrema tangendo se, non penetrent se, hoc inde est, quia extrema habent aliquas partes interiores, alias exteriores, penetratio autem non fit, nisi attingantur partes interiores. Et quia non datur contactus tunc partium interiorum, nec dabitur penetratio. Jam verò cum in puncto, non sint ullæ partes interiores, & nullæ exteriores, hoc ipso qui tangit punctum, tangit & interius & exterius puncti, sitque, ut hoc ipso illud penetret.

CONFIRMATUR ex Mastrio hic disp. 9. num. 31. Implicat unum in divisibile, esse alteri immediatum & extra illud positum, nam si A. B. C. sint tria puncta sibi immediata, vel B. medium, tangeretur secundum se totum, ab utroque collaterali, vel secundum aliud & aliud, & hoc est contra rationem indivisibilis, illud verò manifestè ostendit, illa tria puncta, esse invicem compenetrata.

Hæc utraque impugnatio supponit aliunde non esse impedita hæc puncta, ut non tantum sint sibi immediata, sed etiam intreiter; quod requiritur ad penetrationem, & aliunde non repugnat impediri, eo quòd non implicet aliqua sibi esse immediata, nec tamen secum intreiter, si aliunde impediuntur ne sint intreiter.

RESPOND. tertio. Angelus & anima possunt se extendere divisibiliter, quoad spatium, licet Angelus & anima, sint quid indivisibile: ergo & indivisibile additum indivisibili, poterit occupare majus spatium.

CONTRA est, quia illa occupatio spatii divisibilis, referri debet in vim quandam Spiritibus propriam, quam nobiliori modo (adeoque cum vi redigendi se in punctum) habent Spiritus, vi cuius virtutis & proprietatis, faciunt hoc sine extensione quantitativa suæ entitatis, quod facit extensio quantitativa in aliis; sicut habent perceptionem sensibilium sine actione sensibili, faciendo id excellentiori modo, quod faciunt sensibilia. Quia autem id quod faciunt extensa, non habent vim faciendi indivisibilia, ideo unum indivisibile alteri additum non facit majus. Quod autem id quod faciunt exten-

extensa, non habeant vim faciendi in se inextensa, exinde colligitur; quia prædicta perfectio conceditur Angelis ob eminentiam Esse, sicut enim habent esse eminens, ita debent habere & locabilitatem eminentem, talis autem eminentia non convenit indivisibilibus: nec ex eo, quia aliquid convenit spiritibus statim dicendum convenire corporis. Indubie tamen indivisibile additum indivisibili facit plura, sicut & unitas, quæ est indivisibilis addita unitati, facit plura, sed non extensa.

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur secundum fundamentum Philosophicum.

PROBATUR secundò ex eodem Aristotele. Si continuum constaret indivisibilibus, sequeretur motum velocissimum & tardissimum, esse motus æquales, quod aperte absurdum est. Sequela autè probetur; Supponamus unam eandemque lineam ab aquila intra quadrantem, à testudine pertransiri horæ spatio, quo posito sic instituitur argumentum. In uno instanti, non potest pertransiri nisi unum indivisibile, aliàs esset in eodem instanti in pluribus locis, hocque ipso illud instans non esset instans seu indivisibile, cujus una pars responderet uni parti loci, alia pars, alteri, quo ergò instanti pertransit unum indivisibile aquila, vel eodem instanti pertransit unum indivisibile, aut tantum partes illius, aut nihil, testudo: Si pertransit unum spatii indivisibile, Ergò in illo instanti, æquè movetur testudo ut aquila; idque dicam de cæteris instantibus; Si pertransit partem tantum indivisibilis; Ergò illud, non est jam indivisibile, cum habeat partes; Si autem nihil pertransit loci: Ergò tunc non movetur. Supponimus autem utrumque moveri.

RESPONDET Arriaga & Ovied, Quòd scilicet mobile tardius, in motu quiescat, per aliquas morulas, ratione quarum morularum, illa tarditas provenit. *Circa quas morulas.*

DOCENT I. Quòd quando ponderosum aliquid v. g. lapis deorsum fertur, quantumvis ejus gravitati non resistat aer, & quantumvis à propria gravitate semper impellatur, nihilominus cum motus ille non sit velocissimus, citius enim solem moveri indubium est, hinc in illo etiam motu, agnoscere se dicunt morulas, quod refert Arriaga in defectum virtutis motivæ, & ita inquit videmus, non volare deorsum tam citò ciconiam quàm volat columba, quantumvis ponderet plus ciconia, idque defectu virtutis motivæ. Quod si quæras, cur potius in hac, quàm in illa parte quiescat lapis? determinationem hujus spectare docet Arriaga ad DEUM, tanquam ad auctorem naturæ.

CONTRA I. Quia causa necessaria, positis omnibus requisitis ad agendum, sine intermissione agit, sed lapis descendens deorsum, est causa necessaria, & habet omnia requisita ad motum deorsum; quia necessaria requisita, sunt concursus causæ primæ præparatus, carentia centri, vincibilis resistentia mediæ, & naturalis ponderositas. Sed hæc in omni instanti habet lapis. Ergò sine morulis descendit deorsum. Cur enim concursus non exhiberet Deus, in omni instanti, quo reliqua numerata adsint; nam quod ait Arriaga, referendum id esse, in defectum virtutis motivæ; Hoc locum licet habeat in adlatis exemplis de avibus, non tamen in lapide, cujus virtus unica motiva deorsum, est ponderositas extra centrum posita. In motu autem ciconiæ deorsum, ipsa ponderositas est impedimentum, nam dum eam continere studet, ne prorsus violenter, moratur volatum. Et cum in sententia Arriagæ, minus, & majus grave, æquè tendant deorsum, si illic ponderositas agit, & ciconia, & columba, æquè deberent citò descendere deorsum. Et certè cum ponderositas, in prærequisitis jam dictis accepta, sit principium motus deorsum, si semel non erit principium hujus motus, aliquo scilicet instanti incidentium morularum, nunquam erit principium talis motus, semper enim eadem & invariata ponderositas manet, Idem autem manens Idem, semper est, & facit Idem.

CONTRA II. Si grave interpositis morulis, descendit deorsum, sequitur hominem ruentem ex altissima turri, posse in cadendo nullo planè modo concuti, casu enim, quo occurrant morulæ immediatè ante terram, sistetur casus & motus, mirumque est, quòd in tot prolapsibus, morulæ nunquam occurrere possint, immediatè ante prolapsum.

CONTRA III. Quia si tarditas illius motus in aliud referri possit, quàm in determinationem Divinam, hoc potius instanti, quàm illo ordinantis morulas, si inquam in aliud referri possit tarditas, referenda est; quia non est philosophicum, recurrere ad Deum, potest autem in aliud referri hæc tarditas, de quo infra.

DOCET secundò Ovied. hic Pun. 9. n. 10. quòd mobile in omni motu duo faciat, imprimis impulsus vicino corpori, in cujus locum succedit, & producit in se præsentiam, sequè movet, porro in eo instanti, in quo producit impulsus, Mobile impulsus, in eo instanti non movetur, consequenter, nec in eodem instanti lapis v. g. impellens movebitur, non enim movetur priori corpore non moto, in secundo ergò instanti movetur, & movetur tam diu, quàm diu durat impulsus sufficiens. Hunc autem impulsus, non semper mobile imprimat, sed tunc tantum, cum resistit medium: quia

quia verò impulsus est qualitas citò transiens, idè iteratò redit ad producendum impulsum mobile, quem producendo, quiescit secundum dicta suprà. Ubi ut vides, in assignando quo instanti quiescere debeat mobile non recurrere Ovied, ad Deum, quod parùm philosophicum est, sed recurrit ad causas naturales.

CONTRA primò est. Ex hac doctrina sequitur mobile nunquam moveri, quod sic probatur. Dividamus medium in 4. partes, cui debeat imprimi impulsus, illasque vocemus A, B, C, D. quo instanti, impulsus imprimitur gravi parti A, in illo instanti non movetur, ut ipse docet, sed cum etiam imprimitur impulsus parti B. non movetur, quia ipsum B. non movetur per ipsum, tunc enim primùm recipit impulsus. Ergò nec pars A, movetur, deberet enim succedere parti B, quæ supponitur non moveri, & sic rursus. Ergò nunquam movebitur, & sic de reliquis. languescente interim impulsu.

CONTRA secundò. Quia quod est huius fundamentum, quod eò instanti physico, quo recipitur impulsus, simul non sit motus, licet in priori instanti rationis recipiatur, in posteriori moveat? Quod rursus fundamentum huius, quod expectet ponderosum, quoadusque impulsus non langueat? quod si non expectat, ut imprimat istam qualitatem, semper imprimit, adeoque semper movebitur.

CONTRA tertio. Quia vi huius doctrinae sequitur, fieri posse, ut homo cadens de turri, in ea mora, quâ nec dum impressus est ultimò impulsus, vel in qua medium impulsus, nondum motus est, posse præcipitari, sine dolore ruendo, ruendoque tali nonnisi casu, qualis contingeret, si ex illo nonnisi loco, ubi ultimò imprimitur impulsus, caderet, quicquid, non potest esse gravis: nam ex viciniore loco, non ita graviter caditur.

DOCENT tertio: iidem, quod quantumvis istæ morulae sub sensum non cadant, per hoc tamen non evinci, quin de facto dentur, ad eum modum dicit Arriaga, quo motus Indicis in parvo horologio, quia minutissimus est, vix percipi potest, præcipuè cum quies, non ita immuret sensum. Addit insuper, percipi sensu quodammodo morulas, quia illas percipi, est percipere motum non ita esse velocem, sicut videre eubicationem, est videre corpus esse illuc.

Remaliter paulò declarat Oviedo. Supponit motum sensu externo non percipi, sed tantum per discursum cognosci, quando enim nunc video corpora aliam habere distantiam, & recordor me, eadem corpora vidisse, cum alia distantia, infero, corpus motum fuisse, quod respectu omnium, diversam habet distantiam. quod si corpora quæ se movent sub eadem distantia, semper appareant, intellectus non

posset inferre, motum factum fuisse, sicut qui est in navis camera, motum non percipit. Supponitur rursus quietem, si pro negatione motus sumatur, sensu non percipi, negationes enim non cadunt in sensum: Si item sumatur quies, pro duratione actionis indivisibiliter sumptæ, terminatæ ad eandem præsentiam. Ratio, quia durationes non sunt objecta sensuum, percipitur ergò quies, ex eo, quod intellectus cognoscat, modo hanc distantiam, & recordetur immediatè eandem præcessisse, ex quo infertur: Corpus nullo modo motum fuisse. Addit: longè alio modo motum, alio quietem percipi, quia quando percipio motum, percipio ita, ut advertam partes interruptas motus, esse continuatas, quando autem percipio quietem, partes interruptæ non continuantur. Idque idè, quia quies, est permanentia, omnis autem permanentia, motu destruitur, adeoque non continuatur, motus autem quando incipit, vel desinit, non destruit partes spatii in ante acquisitas, adeoque motus, continuari potest. Non ita quies, consequenter, cum continuatur (quantumvis diutius dureret quàm motus) percipi non potest.

CONTRA primò est. Concedamus, quietem non continuari, concedamus omnes istas explicationes Oviedo. Supponamus tantum, quod avis uno quadrante, perpetuo volatu unam lineam, Sol autem uno quadrante, conficiat plus quam 12. millia leucarum, & supremam sphaera, quadruplo plus. Unde si compareretur motus avis, cum motu Solis, avis unico instanti movebitur & quiescet circiter 12. millibus instantium, ut ipse Ovied, consentit, quo posito sic arguitur. Posito, quod immediatè quiescat post motum avis, vel potest intellectus devenire in cognitione illius quietis, ita ut determinatè dicere possit, nunc quiescit, nunc retinet eandem præsentiam, quam antè retinebat, vel non potest devenire in cognitionem illius quietis, non potest dici quod possit, quis enim istas morulas determinare potest? Si autè illas determinare non potest, rogo quæ in intellectu tarditas est, quod unius instantis motum immediatè post sequentem, designare possit, & non possit designare quietem, & ejusdem distantiae retinentiam, quæ durat duodecim millibus instantium?

CONTRA secundò. Quia immeritò assumit Arriaga, morulas has percipi non posse, quia minutissimæ sunt, quomodo enim minutissimæ sunt, si multis millibus plures sunt, quàm motus continuatio.

CONTRA tertio. Quia immeritò etiam dicit, quod videre morulas istas, sit videre motum tardum, motus enim tardus est absolutè motus, quies, absolutè non est motus. Ergò quies non est motus tardus. Ergò videre motum tardum, non est videre quietem.

Continua-

*Continuatur propositio ejusdem
argumenti.*

Restat contra istas morulas difficilis eaque communis instantia. Ponamus circulum æneum, vel ex materia incorruptibili. Hic circulus quoad partes superiores citius, quoad partes inferiores, tardius movetur, partes enim inferiores circuli, minus spacium superioribus conficiunt. Quo posito quæro? vel partes inferiores circuli sistunt, & morantur, currentibus superioribus vel non? Si non sistunt, & tamen tardius moventur, ergo tarditas motus, in istas morulas & consistentias, referri non debet; Si sistunt, quæ fieri potest, ut non disrumpantur, unâ scilicet parte motâ, aliis immotis. Probatur ulterius, partes inferiores non sistere, quia si à centro illius circuli, ducatur recta, illa eodem situ durabit semper, & tamen eodem situ durare non posset. Si quædam moventur, quædam non moventur partes.

RESPONDET Arriag. Se huic instantiæ non reperire solutionem, quam conatus est tradere Ovied.

DOCETq; primò Oviedo: Ex eo, quòd unum moveatur alio immoto, cui illud unitum est, non sequitur destructio unionis; & ita cum flexibilis virga movetur, non motis reliquis partibus, quæ tamen sunt inter se unitæ, non sequitur destructio.

DOCET secundò. Quòd indivisibilia continuativa, & indivisibilia Res, seu indivisibilia quæ continuantur, in suo distincto, unum quodque sit loco.

DOCET tertio. Quòd indivisibilia Res, lineæ inferioris immediatè uniantur indivisibilibus continuativis, superioris lineæ, indivisibilibus autem, quæ sunt collateralia ipsis punctis continuativis, in superiori lineæ, non uniantur Indivisibilia Res, inferioris lineæ, sunt tamen illi immediata, quia scilicet inter ea nihil intercedit quod sit res, sed tantum indivisibile illud continuativum, quod est modus. Quando ergò movetur linea superior, non motâ inferiori, non amittit unionem, cum superiori indivisibili continuativo, idque ideo, quia motis indivisibilibus superioribus, versùs dextram partem, acquirunt illa, non nisi unius puncti spatium, & tunc in locum collateralis ad dextram puncti, succedit ipsa unio continuativa, & quia indivisibile motum collaterale, erat immediatum ipsi indivisibili inferioris lineæ, erit etiam immediatum, in locum illius succedens continuativum punctum, adeoque nulla fiet discontinuatio. Quando autem post illam morulam incipiunt, & superior & inferior circulus moveri, quia inferior, minus habet conficiendum spatium, quàm superior, fit ut movendo se, iteratò, eundem locum recu-

peret circulus inferior, imò & excedat superiorem, si unâ, diutius moveantur, & sic quiescere poterit. Ergò ulterius linea per circulum ducta, primò movente se circulo superiori, dum quiescit inferior, non nisi leviter inflectitur, & insuper sese remittit ad statum, movente se circulo inferiori.

CONTRA primò est. Posito, quòd circulus superior, in motu acquirat unum indivisibile spatii, posito, quòd succedat indivisibile continuativum superius, in locum indivisibilis, quod est Res, sequitur, nunquam se posse remittere in eundem locum, circulum inferiorem, quod probatur. Quando uterque circulus, idque in instanti movetur, non potest uterque nisi unum indivisibile spatii acquirere, jam autem si remittere deberet sese circulus in eundem locum, deberet acquirere duo indivisibilia spatii, illud scilicet quod deperderat, dum quiescebat, & hoc quod acquirit hic & nunc, circulus superior, unâ cum illo, hoc est circulo inferiori, se movendo. Cum ergò non possit, in eodem instanti duo indivisibilia spatii acquirere, nec in secundo instanti se remittere poterit, in eundem locum. Non etiam in tertio instanti, quo supponitur quiescere circulus inferior, & moveri superior, quia in hoc motu, sinistrum collaterale, statuet se tantum in illo loco ipsius indivisibilis continuativi: imò in quinto instanti, indivisibile inferius, nec sub collateralis dextro, nec sub continuativo indivisibili, nec sub collateralis sinistro, locum habebit; ut calculanti patebit. Certum est, quòd si circulus superior quiesceret in secundo instanti, & solus moveretur inferior, tunc inferior remitteret se ad suum locum. Sed supponit Ovied, utrumque circulum in secundo instanti moveri, & si alternatim superior, alternatim inferior moveretur, non citius moveretur superior quàm inferior, quia per æquales morulas, hoc est alternatas, inchoarent motum.

CONTRA secundò. Transeunte indivisibili continuativo in locum indivisibilis collateralis, eodemne modo distat, quo ante, indivisibile continuativum ab indivisibili inferioris lineæ, vel non eodem modo? si eodem modo distat, quo ante? Ergò nec spatium mutavit, nec per spatium unius indivisibilis promotum est. Si autem non distat eodem modo? rogo quæ fieri poterit, ut contingat in eodem invariato spatio, positum indivisibile superius, cum nec se distendere nec replicare possit, quomodo item elongatione majori possit, continuari potest?

CONTRA tertio. Quando succedit indivisibile continuativum in locum indivisibilis dextri, quod, aliud indivisibile spatii censetur acquisivisse, occupareque jam spatium indivisibilis sinistri, succedit etiam indivisibile conti-

continuativum, rogo quomodo se habeat, ad aliud indivisibile inferioris lineæ? uniturne cum illo, cum antea unitum non fuerit; vel non? Si unitur, Ergo ille modus non est essentialis determinatio ad hæc tantum puncta, sed etiam ad aliud illud, quod illi de novo occurrat, hoc autem est, contra rationem modi; Si non unitur, Ergo illa parte non est illic continuatio sed disruptio, vel novas & novas uniones asserere, erit multiplicare Entia.

Et hæc sunt fundamenta merè philosophica contra indivisibilia, quæ pondus habent etiam apud oppositos: nam alia elidunt. Hinc cum opponitur, si puncta componerent lineam, essent vel continua vel contigua? non possunt esse continua, quia continua sunt quorum ultima sunt unum, puncta autem non habent ultima; non possent item esse contigua, quia contigua sunt, quorum extrema sunt simul. Respondet Arriaga, has definitiones, quamvis Aristotelicæ sint, non esse bonas, & dicit continua esse, quæ ita uiuntur inter se, ut unum sit extra aliud. Contigua verò sunt, quæ licet proxima sint localiter, carent unionē. Cum rursus opponitur illis. Ex non quantis, non potest resultare quantum. Ergo nec ex punctis, quæ etiam non sunt quanta: negat enim puncta non esse quanta, quamvis habeant extensionem non nisi indivisibilem. Negant item consequentiam, eadem argumento & dicunt similem esse huic. Petrus non sunt duo homines. Paulus item non sunt duo homines. Ergo ex Petro & ex Paulo, non resultant duo homines.

Sed restant adhuc contra puncta, argumenta Mathematica.

Punctum Difficultatis 3.

Proponuntur fundamenta ex Mathematicis contra indivisibilia.

PRIMA DEMONSTRATIO est. Demonstravit Euclides lineam rectam, posse dividi in duas partes æquales: sed si lineæ componerentur ex punctis, lineæ constans tribus punctis, non posset æqualiter dividi, intermedium enim punctum, in duas partes scari non potest.

RESPONDET Arriaga & Oviedo, negando demonstratum esse ab Euclide, nec videtur esse de essentia lineæ rectæ, dividi in partes æquales. Posset item hoc argumentum retorqueri in eos, qui quantitatem componunt ex partibus & punctis continuativis, si enim lineæ dividens, caderet in punctum continuativum, qui divideret æqualiter. Addit Oviedo. Quod quando sunt puncta res, imparia, puncta continuativa semper sunt paria: nam v. g. inter tria indivisibilia rerum, debent intercedere duo puncta continuativa, Consule eundem.

SECUNDA DEMONSTRATIO est. Si quantitas componeretur ex punctis, sequeretur circulos concentricos maiore & minorem esse æquales, quod aperte falsum est. Sequel probatur, à quolibet puncto circumferentiæ circuli maioris, potest duci lineæ ad centrum, tunc incidendo in circulo minorem, vel distincta puncta notabunt in circulo minori, vel non notabunt, distincta puncta? si notabunt, Ergo tot erunt puncta, in inferiori circulo, quot in superiori; Si non notabunt? Ergo lineæ ductæ à circumferentia circuli superioris, in circulo inferiori incident, quod falsum est, quia lineæ ductæ à circumferentia ad centrum, si rectæ & non undosæ sint, non debent se tangere, nisi in centro.

RESPONDET Oviedo posuisse quidem Euclidem inter notiones communes, quod lineæ rectæ non habeant unum & idem segmentum commune, dicit tamen, se inquisisse ex Mathematicis nec discere potuisse, quod habeant pro hoc firmam demonstrationē. Hinc & ille, & Arriaga & Pontius respondet, fore ut coincident in inferiori circulo aliqua lineæ, quia inferior circulus, non tot puncta, nec tot habet partes determinatas, si ex partibus componatur circulus, non erunt tamen undosæ, quia breviorē viam ad centrum non habebunt, quam incidendo ad invicem.

TERTIA DEMONSTRATIO est. Si quantitas componitur ex punctis, sequitur diametrum quadrati, esse æqualem costæ, supponamus enim costam esse decem punctorum, supponamus à singulis per medium, usque ad costam oppositam, duci lineas, tunc per istas ductas lineas, diameter totus cooperietur, cooperiri autem non deberet, si pluribus quam 10. constaret punctis.

RESPONDETUR imprimis retorquendo argumentum contra partes proportionales, si enim à partibus costæ ad aliam costam ducantur lineæ, cooperient diametrum, neque tamen inde sequitur cœqualitas costæ & diametri. Ergo nec apud oppositos idem sequitur.

QUARTA DEMONSTRATIO. Supra quamecunq; basim, certum est construi posse triangulum, certum item est, quod basis trianguli, sit longior quacunq; sibi superpositâ lineâ. His positis supponamus, basim esse, trium punctorum, latera 6. punctorum, ducatur lineæ immediate sub Cono, illa ad minimum erit duorum punctorum, secunda cum debeat superare primam in triangulo, necessario erit saltem trium punctorum, tertia erit quatuor punctorum, adeoque complurium punctorum quam basis.

RESPONDETUR imprimis. Retorquendo argumentum in partes proportionales, casu quo sit basis, trium partium æqualium unicæ, & latera 6. vel plurium partium æqualium

uni certæ, ejusdem proportionis. Hancq; viam tenet etiam Arriaga. Sed Oviedo negat universaliter, quod lineæ laterales possint esse longiores ipsâ basi pyramidis, quia pyramis fit per positionem unius lineæ supra aliam, & hæ lineæ quæ supponuntur, debent esse una minor aliâ, una autem, aliâ non esset minor, si basi lateralis lineæ, major esse posset.

Multæ ex his, similesque demonstrationes, solvi possent, quod procedant ex suppositione quantitatis, ex partibus proportionalibus compositæ, in infinitum divisibilibus.

DIFFICULTAS II.

Componiturne Continuum permanens ex partibus proportionalibus, in infinitum divisibilibus?

PUtatur asseruisse Aristoteles multis in locis, præcipue sexti Physic. ubi de quantitate tractat ex professo. Asserit S. Th. & omnes communiter, novissime Suar, negat Zeno, cui favent Lugo Card. Hurt. Tolet. Arriaga, Oviedo.

Nihil definiendo sola argumenta in oppositum propono.

Punctum Difficultatis I.

Examinatur primum fundamentum contra partes proportionales.

PRIMUM FUNDAMENTUM est. Supponamus, per possibile vel impossibile, ex una parte produci à Deo omnia possibilia, vel si te productio eorum offendit, suppono DEUM cognoscere omnia possibilia, accipio deinde aliquod determinatum papaveris granum. Hoc posito, sic

PROBARI posset. Vel Deus omnibus possibilibus à se productis, aut si mavis dicere, omnibus à se cognitis, potest dare, assignare, connumerare &c. partes proportionales, minores & minores, dicti grani papaveris, semper alias & alias, vel non potest? Si non potest? Ergò falsò asseruisti, quantum, adeoq; granum papaveris, componi ex partibus semper & semper divisibilibus, dabilibus, assignabilibus; Si autem potest dare singulis possibilibus, partes proportionales minores & minores grani papaveris, quæro ulterius: Datâ ex illo grano, unicuique ex possibilibus, suâ parte proportionali, vel manent ulterius adhuc dabiles partes proportionales, vel non? Si non manent; Ergò ventum est ad indivisibilia, quia ventum est ad non dabilia, nec assignabilia ulterius: Si autem post assignationem partium proportionalium aliarum & aliarum, pro omnibus possibilibus, adhuc manent partes

dicti papaveris, ulterius dabiles. Ergò sunt plures partes proportionales, unius grani papaveris, quàm sint omnia possibilia, quia pluries dabiles, quàm sint omnia possibilia. Ergò ulterius, partes proportionales unius grani, plures erunt, quàm omnium granorum possibilem, acceptorum cum suis partibus proportionalibus; quia post assignationem factam illis possibilibus, adhuc manent in illo grano ulterius assignabiles partes. Quod si partes proportionales unius grani, plures sunt quàm partes proportionales reliquorum granorum papaveris, Ergò assignas diversis granis & quantis, diversas divisibilitates constituendo majorem partium proportionalium multitudinem, in uno grano quàm in aliis, infinite pluribus, quæ non capit Ratio.

In idem recidet si dicas. Si singulis possibilem distributive acceptis, possunt dari partes minores & minores, aliæ tamen & aliæ, grani papaveris. Ergò verificari poterit hæc propositio: Nulla est pars ex possibilibus distributive acceptis, quæ non habeat sibi assignatam partem proportionalem. Quò posito, quæro de ipso papavere: An verificabilis sit hæc propositio: Nulla est pars grani papaveris, quæ non sit jam assignata; vel hæc: Aliqua est pars papaveris, quæ adhuc non est assignata: Si prior illa verificatur; Ergò ventum ad indivisibilia, quia non assignabilia ulterius; Si secundum. Ergò ut inferbatur plures sunt partes grani papaveris, quàm omnia possibilia. Nam de omnibus illis possibilibus distributive acceptis verificatur hæc propositio: Nullum est ex possibilibus distributive acceptis, quod partem ex grano papaveris accipere possit, & non acceperit, & tamen verificatur adhuc: Aliquæ partes grani papaveris, sunt adhuc, quæ dari possunt, & non sunt datæ. Si enim dari ulterius non possunt, ventum est ad indivisibilia, quia non dabilia ulterius.

Universaliter autem non potest dici, quod singulis possibilem possint ex uno grano papaveris assignari partes, licet minores & minores in infinitum. Tum quia si unum infinitum exhauritur ab alio infinito, quomodo unius grani partes finitæ in infinitum, non exhaurirentur per possibilia omnia, quæ non sunt unum finitum in infinitum, sed sunt infinite infinita in infinitum. Tum quia, si imperceptibile est posito infinito hominû, quomodo nò sit majus infinitum capillorû, quos haberent infiniti homines, ita imperceptibile videtur simplas partes proportionales unius grani, æquivalere duplis partibus proportionalibus, duorû granorum, multò magis omnium possibilem, cum in nullo casu simplum, connumerabile sit duplis. Tum quia ex ligno centû pedali, singulis partibus ligni pedalis, partes minores & minores dari non possent, siquidem pluries sunt dabiles partes

partes ligni pedalis, minores & minores, partibus minoribus & minoribus ligni centum pedalis, si tua responsio tenet; quod nulla Ratio capit, jam enim minus, majus esset majori.

RESPONDERI potest primò, Suppositio nem tollere seipsam. Supponit enim ex una parte, omnia possibilia vel producta vel cognita, ex altera parte granum unum papaveris, quasi illud inter omnia possibilia non continetur, adeoque supponit omne possibile, & non omne possibile.

CONTRA. Quia suppositio loquitur de omnibus possibilibus, ita ut ex illis extrahatur unum possibile, de quo illo ita extracto, instituitur argumentum.

RESPONDERI potest secundò. Partes proportionales unius grani distributive acceptas, æquivalere omnibus possibilibus; quantumvis collectivè acceptas, non æquivalent omnibus, non licet autem à sensu distributivo ad collectivum argumentari. In idem recidet: partes grani unius, non æquivalere materialiter partibus grani alterius, licet æquivalent in ratione formali. In hoc scilicet, quia sicut partes granorum B, C, non tot sunt quin plures, ita partes A, grani, non tot sunt, quin plures.

CONTRA. Tum quia partes grani A, distributive materialiter & quocumque modo appellaveris acceptas, idem sunt realiter cum partibus collectivè & formaliter acceptis. Ergo quodcumque prædicatum physicum uni convenit, convenit & alteri. Sed partibus v. g. grani A, distributive acceptis, convenit esse æquales partibus proportionalibus granorum B, C. Ergo convenit esse æquales, etiam collectivè acceptis, ex principio recepto: Quod scilicet identifierum realiter, eadem sint prædicata physica. Tum quia etiam posito, quod partes unius grani distributive acceptas, sint comensurabiles omnibus reliquis possibilibus distributive acceptis, stat adhuc argumentum, manentne distributive ulterius dables illas partes, posito quod sint singulis jam datas, vel non manent distributive dables. Tum quia non licet à prædicatis ortis à mera collectione, argumentari ad prædicata orta ex mera distributione, sed licitum est argumentari à prædicato physico omnium distributive acceptorum, ad prædicatum physicum collectivè acceptorum. Unde si de distributive acceptis Apostolis verum est dicere, quod cucurrerint per orbem, etiam de tota collectione verum est dicere, illam cucurrisse; æqualitas autem, est prædicatum physicum. Et sicut Petrus & Andreas, si collectivè accepti non æquant tredecim, nec distributive accepti æquant; ita si partes collectivè acceptas unius grani, non æquant omnia possibilia, nec æquabunt distributive acceptas.

RESPONDERI potest tertio, Partes pro-

portionales unius grani, neque esse tot quot sunt reliqua omnia possibilia; neque non tot, quia Ly tot, & Ly non tot, sunt prædicata rebus determinatis convenientia, cum autem partes illas proportionales, non sint determinatas, neque tot, neque non tot possunt dici, esse. Sic v. g. de numero dici potest, est hic pluralitas, tamen dici non potest, an pluralitas sit major decade, vel minor decade, quia Ly pluralitas, non est numerus determinatus. Cum ergo etiam partes proportionales, non sint partes determinatas, dici de illis non poterit, an sint tot, vel non sint tot, quot sunt reliqua omnia possibilia. Innuat hanc responsionem recentior Suar. Tract. 5. Physicorum d. r. n. 156.

CONTRA. Tum quia si nescis an tot sint partes proportionales unius grani papaveris, ut possint dari omnibus reliquis possibilibus. Ergo etiam nescis, an quantitas componatur ex tot partibus, ut iis positis, sint vel non sint plures dables. Si enim indeterminatio partium, facit, ut nescias; an tot sint vel non tot sint, quot sunt omnia possibilia. Ergo eadem indeterminatio facit, ut nescias, an componatur ex partibus semper ulterius acceptibilibus, vel non componatur ex partibus ulterius & ulterius acceptibilibus. Tum quia indeterminatio partium hoc tantum importat, quod illas partes, non ita parvas sint, quin minores dari possint, ex quo nullo modo sequitur, quod non possit dici an sint plures, an non plures reliquis possibilibus, immò ex tuo asserto oppositum sequitur: si enim sunt in infinitum, semperque ulterius & ulterius acceptibiles. Ergo etiam acceptibiles ad connumerationem omnibus reliquis possibilibus, hoc ipso enim si non essent acceptibiles, ad connumerationem omnibus reliquis possibilibus, non essent in infinitum ulterius & ulterius acceptibiles. Tum quia quando dico de numero est hic pluralitas, si numerum eundem non habeo aliunde cognitum, non possum dicere; an pluralitas sit major vel minor, decade: non enim assero de numero, quod hujus naturæ sit, quod æquivalere debeat quibuscumque aliis numeris, & si hoc asserem de illo numero, dicerem extemplo, illud esse majorem decade. Tu autem cum asseras de quantitate, quod non tot habeat partes, quin plures; teneris etiam asserere, quod habeat partes, reliquis possibilibus dables, hoc ipso enim essent, non tot quin plures, sed non plures.

RESPONDERI potest quarto. Falli imaginationem argumenti in hoc quod imaginetur, vel in omnibus possibilibus, vel in partibus proportionalibus granorum B, C, deveniri posse, eo, ut non jam ulterius sint dables, partes autem granorum B, C, proportionales non tot sunt, quia plures, consequenter & partes grani A, proportionales, quæ adhuc dari debent, non tot erunt quin plures.

CONTRA. Tum quia, accipio istos terminos: Partes proportionales granorū B. C. aut individua possibilia, nō, tot sunt, quin plura individua possibilia, & acceptis his terminis restituitur argumentū, sic, Partes proportionales grani A. vel tot sunt quot sunt, non tot, quin plura individua possibilia, vel si mavis dicere quot sunt, nō tot quin plures partes proportionales granorum B. C. vel non sunt tot? quodcūq; dixeris redibit argumentū factum. Tum quia suppono omnia possibilia à Deo cognosci, & quamvis nō tot sint omnia possibilia, quin plura, verum tamen est, quod nullum sit ex illis, quod Deus non cognoscat. Hōc posito, sic accommodatur argumentum: Datis ex granis A. partibus proportionalibus pro singulis individuis possibilibus, non tot quin pluribus, ita tamen, ut verum sit: Nullū individuum est, quod suam partē proportionale ex grano A. non habeat, sicut verum est dicere: Nullum est individuum, quod nō sit cognitum, tunc quæro, vel adhuc restant partes dabiles ex grano A. vel non restant dabiles, quodcūq; responderis, redibit argumentum factum. Tum quia ex istis duabus una debet verificari v. g. *vel hæc.* Aliqua pars grani, ex partibus non tot, quin pluribus, est adhuc dabilis, quamvis datae sint, non tot, quin pluribus possibilibus, *vel hæc:* Nulla est pars grani ex partibus non tot, quin pluribus, adhuc dabilis, cum datae sunt, non tot quin pluribus possibilibus. Si verificatur prima propositio, Ergo plures sunt partes illius, præ possibilibus; Si secunda, Ergo ventum ad indivisibilia, quia ad non dabilia.

RESPONDERI potest quintò. Hanc difficultatem totam, pendere ex natura infiniti, adeoq; etiam argumentanti solvendam esse, quod ita ostendi potest. Accipiamus omnes posibles homines, ex una parte, ex alia parte, accipiamus reliqua omnia possibilia, tūm quæro, vel illis possibilibus reliquis, singillatim potest assignari individuum humanum correspondens, vel non potest? Si non potest, Ergo deveniri potest in creatione hominum, cō, ut plures implicent contradictionem; Quod si potest reliquis possibilibus singillatim assignari unum individuum humanum, Ergo tot sunt posibles homines, quot sunt reliqua omnia possibilia.

CONTRA. Tum quia nihil est absurdū dicere, positis per possibile vel impossibile omnibus possibilibus hominibus, quod in quā non sint ulterius dabiles, ultra enim omne possibile hominum, non est producibilis vel unus homo, consequenter ex possibili hominū, non posse aliis singillatim, alios & alios assignari homines, quia simpliciter possibile hominū, est connumerabile non nisi simpliciter aliorum possibilium; est autē absurdū in sententia opposita, datis partibus proportionalibus, pro singulis reliquis possibilibus, deveniri tandem ad non dabiles, seu ad indivisibilia. Tum quia concesso, quod non plures sint omnes posibles homines, nec pauciores quā

reliqua omnia possibilia, nego dici posse, quod æquē sint multæ partes proportionales unius grani, quā reliqua omnia possibilia; quia posita quacūq; hominum multitudine, & extrinsecā in actum existentia, manet idē fons & origo multiplicabilitatis hominum, nec quidquā diminuitur, de illo fonte. Porro fons iste est, ex parte rei producendæ: veritas hujus propositionis: Animal & rationale nō sunt termini contradictorii: alius fons ex parte producentis, est ipsamet omnipotentia Divina, quæ eadem est, sive unum ponat, sive plura. Jam autem cum dantur partes proportionales, nō manet idem principium invariātum dandi, quia minuitur quantum, manetq; semper minus & minus. Tum quia productio vel annihilatio aliquo possibili, non redditur hōc ipso illud possibile impossibile, consequenter possibilitas, manet invariata. Jam autē, quod jam uni singillatim assignatur, hoc ipsum jam alteri non potest assignari.

Punctum Difficultatis 2.

Examinatur secundum fundamentum.

SECUNDUM FUNDAMENTUM. Deus cognoscit omnes posibles divisiones continui. Ergo cognoscit deventum esse ad non divisibile ulterius. Ergo, non cognoscit continuum componi, ex partibus in infinitum ulterius divisibilibus, quia ultra notitiam Dei, de divisibilitate, nihil est ulterius divisibile. Primum Antecedens verificat Omni-scientia Divina. Consequentia autem sic probatur. Quia Deo cognoscente omnes posibles divisiones continui, si non deveniretur ad non divisibile ulterius, hōc ipso non esset cognita omnis possibilis divisio. Restaret enim illa cognoscenda divisibilitas, quæ responderet, post cognitās omnes posibles divisiones continui.

RESPONSIO cōmunis est. Partes continui posse dividi omnes, & posse cognosci omnes, non tot tamen quin plures seu inadæquate.

CONTRA. Cognoscere omnes partes, in quas est divisibile continuum, & non cognoscere omnes partes, sunt termini se tollentes. Ergo etiam hi termini: Cognoscere omnes, non tot tamen quin plures, erunt termini se invicē tollentes. Consequentia probatur. Ly nō tot quin plures, est terminus æquivalens termino: Non omnes. Ergo sicut se tollunt hi termini, omnes partes sunt cognitæ, nō omnes sunt cognitæ; ita & hi termini: omnes sunt cognitæ, & Ly nō tot tamen quin plures, erunt se tollentes termini. Antecedens probatur cōmuni cōceptione, idē enim est dicere creditori debitori: Nō tot reddidisti mihi nummos quin plures debeas, ac dicere nō reddidisti omnes. Ubi est æquivalentia termini: nō tot quin plures, ad terminū: non omnes. Itē dicere, Deus nō tot creavit entia quin plura, significat, Deū adhuc nō omnia creasse, & sic de reliquis. Procedit hoc argumentū ut vides contra solā usurpationē prædicti termini.

Eundem modum terminum sic proponit Arriag.

Deus videt omnes divisiones possibiles, circa hanc chartā, non solum eas, quæ simul fieri possunt, sed etiam quæ successivè & divisivè; ita ut nulla possibilis sit divisio, quā Deus non videat. Ergo Deus cognoscit per eas divisiones, chartā redactā ad indivisibilia. Consequentia probatur. Quia si non cognosceretur hæc charta redacta ad indivisibilia, Ergo cognoscitur adhuc divisibilis. Ergo possibiles sunt aliæ divisiones, quas Deus non cognoverat, quod est erroneum. Addit idem, Deus habet hoc iudicium: si hæ divisiones, quas ego hodie cognosco, simul existerent, nihil amplius esset divisibile in hac charta, alioquin ego non cognovissem omnes. Ergo per illas divisiones, charta cognoscitur redacta, ad indivisibilia.

RESPONDET primò Ovied. & dicit imprimis, Deum quidem cognoscere omnes divisiones possibiles, sed nō cognoscit illas posse inter se coherere, quod si Deus nō cognoscit illas divisiones posse inter se coherere & coexistere, nec cognoscit posse ultimò dividi, adeoque nec cognoscit deveniri ad indivisibilia. Dicit deinde, quando Deus cognoscit hanc conditionatam: Si omnes divisiones quas ego cognosco modò existerent, duplicè habere posse sensum. Primò, Quod positis divisionibus omnibus, nec etiā existant extrema, & sub hac conditione, videt Deus nihil continui mansurum, si divisibile, si indivisibile; Secundò, quod positis omnibus divisionibus, adhuc tamè existant extrema, & hæc conditionata, involveret apertam implicantiam, diceret enim existentia extremorum, ut supponitur; non diceret autè, quia importaret corruptionem unionum, quas tamen per locum intrinsecum, dicit existentia continui. Dicit deniq; Ovied. quomodo Deus possit intentionaliter quantitatem ultimò dividere, & dicit nō cognosci à Deo continuum divisum, in aliquod extremum, quod in se divisibile non sit, cum quantitas ex se, semper ulterius divisibilis sit. Cognoscit tamè continuum, ita, ut non sit omnino divisibile, aliquā divisione existente, ultra collectionē divisionū, quas Deus cognoscit, consequenter quando Deus cognoscit hanc vel illā divisionē, cognoscit divisionē dicere corruptionē, g. unionis A, cognoscit nihilominus existentia unionis B, & sic deinceps, cōsequenter cognoscit semper adhuc divisibile.

CONTRA. Tum quia quamvis ex eo quod cognoscat Deus omnes divisiones possibiles, non sequatur continuum esse divisum, per omnes partes possibiles, illa enim cognitio Dei non est practica. Ceterum ex eo, quod cognoscat omnes divisiones possibiles, sequitur videre Deū extremum, quod in se, divisibile non sit; quod ipsum probatur. Vera est hæc propositio: Omne divisibile possibile in continuo, est cognitum à Deo. Ergo etiam hæc vera erit: Nullum divisibile, quod sit possibile in continuo, est cognoscibile à Deo, Si enim jam cognitum est, co-

gnoscibile nō est, cognoscibile accipiendo, pro eo, quod nondum est cognitum. Ergo ulterius, si nullum divisibile, quod sit possibile in continuo, est cognoscibile à Deo, nullum etiam divisibile erit. Recta enim est hæc consequentia: Nullum verbum æternū est cognoscibile à Patre minus Patre. Ergo nullum, est minus. Omniscientia enim attingit res omnes, & si aliquid non attingit, hoc ipso non est. Tum quia quando Deus cognoscit continuum sine unionis A, unionemq; A, intentionaliter separat, nō repræsentatur Deo quicquā, quod sit divisibile à continentia unionis A. Ergo etiam, quando Deus cognoscit, omne possibile divisibile, nihil cognoscit ulterius divisibile & separabile, à continentia unionum. Sicut enim se habet unio A, ad partem divisibilem unam continui, ita omnes uniones ad totū continuum. Ergo quod superest, divisibile separabileq; non est, adeoq; indivisibile. Antecedens primum probatur. Quia si cognoscente Deo continuum sine unionis A, repræsentaretur aliquid divisibile à continentia unionis A, & repræsentaretur illud continuum sine unionis A, ut supponitur, & nō repræsentaretur sine unionis A, quia adhuc repræsentaretur divisibile à continentia unionis A. Tum quia quando Deus cognoscit omnes divisiones possibiles, vel adhuc manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo, vel nō manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo. Si manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo? Ergo falso dixisti, omne possibile divisibile, est cognitum; Si non manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo, ergo manet indivisibile. Tum quia illud principium Oviedo: nempe cognosci à Deo omnes divisiones possibiles, sed nō posse illas coherere inter se, nō convincit pro parte Ovied. Si enim Deus cognoscendo omnes divisiones possibiles, cognosceret etiā, quod possint coherere inter se, quantitas redigi posset actu in punctū. Ergo etiam quando cognoscit omnes divisiones possibiles, quantitas redigitur ad indivisibile intentionaliter. Probatur consequentia. Quia quod faceret in actu physico, positio omnium divisionum possibilium, hoc facit in statu objectivo, cognitio omnium divisionum possibilium. Tum quia si Deus posset mentaliter dividere continuum, per omnes divisiones collectivè, in partes nullo modo inter se communicantes; continuum illud redigeretur ad indivisibile. Sed cognoscendo omnem possibilem divisionem, dividit mentaliter Deus continuum, in omnes partes, nullo modo inter se communicantes, quod ipsum probatur: quia assumptio quam tenes, omnes partes sunt divisibiles, habet hunc sensum, importatque quod quidquid assignabile est, si communicans, si non communicans in quantitate, adhuc divisibile est. Ergo etiam hæc propositio. Omne possibile divisibile, est à Deo cognitum, habebit hunc sensum, importabitque, quia quid-

quidquid assignabile est siue communicans, siue non communicans, si ex quantitate est, jam divisum intentionaliter esse. Fiat enim calculatio: Palmi, ex vi cognitionis omnem possibilem divisionem cognoscentis, jam sunt divisi mentaliter in semipalmos, semipalmi, ex vi cognitionis omnem possibilem divisionem cognoscentis, jam sunt divisi in dimidia, quæ jam intentionaliter non communicant in semipalmo & sic ulterius. Ergo Deus simul cognoscendo omnem possibilem divisionem, dividit mentaliter continuum, in partes omnino non communicantes.

RESPONDETUR secundò huic argumento. Hæc propositio: Omne divisibile possibile est cognitum à Deo, facit hunc sensum, nullum divisibile, quod sit cognoscibile, est incognitum à Deo, ita ut nihil restet in continuo, quod non sit cognitum, & tamen pertineat ad continuum, sed non inde inferre licet: Ergo restat indivisibile, hoc enim non pertinet ad continuum, ad eum modum, quo cum dico: Omnes sunt in schola, sequitur tantum; nullum abesse à schola, qui pertineat ad scholam, etiam si absint qui non pertinent ad scholam. Et sicut, cum dico: Omnes albi videntur in hoc loco, sequitur quidem, quod nullus sit albus, qui non videatur in hoc loco, sed non sequitur, Ergo reliqui videntur nigri. Sic quando dico: Omne possibile divisibile est cognitum, sequitur quidem, Ergo nullum divisibile, est possibile, quod non sit cognitum, sed non sequitur, Ergo jam tantum est indivisibile.

CONTRA. Tum quia hoc ipsum probari debuit, dicent oppositi, nullum scilicet indivisibile spectare ad continuum. Tum quia consequentia allata à non albo ad nigrum, est à negativo ad positivum. Consequentia autem à non divisibili ad indivisibile non est talis, cum per Ly indivisibile, in præfenti nō terminus positivus, sed merè negativus veniat, solumq; est positivus ex modo significandi. Tum quia, quando dico: omnes dies futuri totà æternitate post, sunt cogniti: verum est nullos dies esse incognitos, qui sunt futuri totà æternitate post, ita ut verum sit dicere: nihil ulterius manere dierum cognoscendorum. Ergo etiam cum verum sit dicere: nullum divisibile esse incognitum, verum erit dicere: nihil ulterius manere divisibile, quod sit cognoscendum. Ergo ventum ad nihil divisibile, quod Ly nihil divisibile, verbo differt, ab indivisibili in præfenti.

RESPONDETUR terciò. Cognosci à Deo omnes posibles divisiones inadæquatè, indeterminatè, non tot quin plures, omnes tamè, seu omnes distributivè, non omnes collectivè.

CONTRA. Præter allata supra. Cognoscendo Deo inadæquatè, indeterminatè, non tot quin plures divisiones, omnes distributivè &c. verumne est dicere, nullæ sunt divisiones cognoscibiles à Deo ultra istas, vel falsum? si

verum: Ergo nec ullæ sunt divisiones posibles, Ergo tantum jam sunt indivisibilia; Si autè est falsum: Ergo non omnes cognoscit, quòd de Omniscientia, nec debet, nec potest dici.

Punctum Difficultatis 3.

Examinatur ultimum Fundamentum.

TERTIUM FUNDAMENTUM est ex Arriaga. Si darentur partes proportionales in infinitum divisibiles, deberent esse infinitæ actu, contra quam Aristoteles voluerit, & oppositi sentiant. Hinc

PROBATUR terciò. Ille cumulus continet actu infinitas unitates simpliciter & absolute, & non solum secundum quid, à quo si successive, una unitas post aliam auferatur, nunquā poterunt illæ unitates exhaustiri, sed granū papaveris est talis cumulus. Ergo granum papaveris continet actu infinitas unitates simpliciter, Major est definitio infiniti. Minor est oppositorum doctrina.

CONFIRMATUR. Partes per divisionem & subdivisionem acceptibiles, vel sunt infinitæ vel finitæ; si infinitæ: habetur intentum: Si finitæ: Ergo in illis deveniri potest, ad ultimam.

RESPONDET primò aliqui apud eundem. Partes has non esse infinitas simpliciter sed tantum secundum quid, non sunt autè infinitæ simpliciter, quia sunt identificatæ, partibus aliquotus seu determinatis, quæ non sunt infinitæ.

CONTRA. Tum quia, ut urget idem Arriaga, identitas inter partes aliquotas & proportionales, est identitas inadæquatæ, ad eum modum, quo lateres sunt pars domus, & quomodo materia & anima, non sunt distincta ab homine. Ergo sicut nō sequitur ex eo, quia homo est unus, materiam & animam, non esse distincta duo absolute entia, lateres itè non esse plures, quia una non nisi est domus, sic nec licebit inferre, partes non esse infinitas, quia sunt identificatæ partibus. Tum quia ut urgebatur supra, ex hac responsione sequitur, partes proportionales & non esse infinitas simpliciter, & esse: non esse quidè, quia sunt identificatæ partibus determinatis finitis; Esse autem; quia partes illæ determinatæ, sunt identificatæ infinitis indeterminatis, quarum infinitas, probat argumentum factum. Tum quia non potest dici hominem esse rugibile, in quantum est Leo, nō esse rugibile in quantum est rationale. Ergo etiam non potest dici, partes esse finitas ob identificationem cum finitis, & tamen esse semper, & semper acceptibiles, nunquā idem accipiendo, adeoq; conveniente sibi definitione infiniti, sicut enim definitio rationalis excludit rugibilitatem, ita definitio finiti, excludit definitionem infiniti, adeoque excludit acceptibilitatem actualem, aliis & aliis, sine termino.

RESPONDETUR secundò ex istis quæ habet Oviedo, hic punct. 3. n. 1. Ex eo partes, proportionales non esse infinitas actu, quia aug-

mentum hoc procedit, inquit, Oviedo, semper à proportionem Majoris ad proportionem Minoris inæqualitatis, & quocunq; modo augetur, non excedit illud ipsum totum, ex quo accipitur. Sic v. g. sit una quantitas palmaris, & alia ulnaris, accipe medietatem ex ulna palmarisq; illam adde. Rursus illius ipsius medietatis, residuæ in ulna, accipe dimidium, & adde palmo, & sic deinceps; quidquid tamen ex ulna addideris palmo, non excedet ulnam, quia augmentum hoc fit ex eodem toto, quod est ulna, & si augmentum fieret ex alia & alia ulna, additione illa cresceret palmus, ultra ulnam. Porro ad infinitum est necesse ut sint partes aliquotæ, & æquales, infinitæ, non autem ut partes nonnisi proportionales.

CONTRA. Tum quia, ut idem Ovied: urget. Etiam partes aliquotæ & æquales, sunt in quolibet palmo v. g. per adversarios infinitæ, quia continuum est divisibile in medietates æquales, hæ ipse medietates sunt divisibiles in alias medietates æquales, & sic deinceps. Et sicut partes proportionales sunt infinitæ, quia semper & semper dividi possunt; ita & partes æquales erunt infinitæ, quia semper, alia, & alia, inter se æquales, dari possunt. Tum quia ut dixit Arriaga, quamvis illæ partes sint inæquales, si semper alia & alia accipi possunt, non sunt dicendæ finitæ; ad eum modum, quo nummi non sunt finiti, si semper & semper accipi possunt, quantumvis minores & minores. Tum quia ex hac responsione, sequitur & esse finitas, & non esse finitas; sunt finitæ, ut probas, & non sunt finitæ, quia semper & semper sunt acceptibiles, non accipiendo idem.

RESPONDET tertio Ovied: ex proprio sensu, & dicit: Posse in infinitum procedere divisiones, & in infinitum partium multitudine augeri, non tamen posse DEum infinitas divisiones hoc modo exhibere, aliud enim est, posse divisiones in infinitum augeri, aliud est, divisiones esse infinitas, sicut aliud est numerum posse in infinitum augeri, & aliud numerum posse esse infinitum. Ad confirmationem etiam dicit. Ex eo quod quantitas possit in infinitum in partes dividi æquales, inferri in quantitate infinitas partes æquales, non tamen reperiri in quantitate infinitas partes æquales, quia inquit ex infinitis inæqualibus, una minori alia, potest quicunq; numerus quantumvis maximus partium finitarum construi, sicut contingit in numero, qui in infinitum augeri potest, ex eo, quod possibiles sint infinitæ unitates; ex quibus numerus finitus, infinite possit accrescere, etiam si non possint infinitæ unitates annumerari.

CONTRA. Tum quia illæ partes, quarum divisio potest in infinitum procedere, de facto sunt infinitæ, quando de facto & actu, tot sunt, ut semper ex illis aliquid sit accipere, & nunquam idem; partium autem continui divisio,

potest in infinitum procedere, & partes continui sunt tales, ut semper ex illis, de facto, & actu, aliquid sit acceptibile, & nunquam idem. Ergo illæ partes sunt infinitæ actu. Tum quia pensando verba quæ adferuntur, non satis liquet quid intelligatur, quod DEus non possit exhibere infinitas istas divisiones; vel enim ex eo illas non potest exhibere, quia deveniretur, ut à parte dividendorum, defectu orto, exhiberi non possint, & sic clarè deveniretur ad indivisibilia; si autem non possunt exhiberi illæ divisiones, defectu orto ex parte dividendis DEI, & tunc caretur omnipotentia sine necessitate, præcipue cum argumentum adlatum, non tantum probet, posse divisiones in infinitum augeri, sed probet debere esse infinitas actu. Tum quia quamvis unitates possint in infinitum augeri, non sunt tamen infinitæ, ex eo, quia non tot sunt actu & à parte rei unitates, ut ex illis semper sit accipere aliquid & nunquā idem, partes autē sunt actu tot, ut semper sit aliquid ex illis accipere & nunquā idem.

Cæterum, qui tueretur, partes non esse in continuo actu, sed solum potentia distinctas, consequenter ad dicta tueretur, non esse illic ullam infinitatem actu.

DIFFICULTAS III.

De fundamentis prædictarū sententiarū.

Proponenda erunt imprimis fundamenta pro sententia Zenonistica.

OBJICITUR primò. Tempus & motus necessario debent componi ex instantibus.

RESPONDETUR. De hoc querendum esse infra.

OBJICITUR secundò. Sphæra perfecta tangit planum in puncto, quod demonstravit Euclides Lib. 3. Element. propositione secundā, consentitq; Aristoteles lib. 1. de anima tex. 13. Et certè ponamus sphæram trahi per planū, tracta describet lineam, quæ nonnisi punctis constabit, semper enim nonnisi in puncto tanget planum.

RESPONDET primò recentior Suar. Quod scilicet tangeretur illud planum, non in puncto, sed in parte incerta, omni scilicet minima, minori. Ideo autem sunt incertæ illæ partes, quia cū sint continuæ, sunt indeterminatæ, nec habent existentiam determinatam. Illustrat hoc instantiā; non est dubiū in numero, plures existere, quādiu tamen istud plures; ad duos tres &c. non determinatur, istud plures, est numerus incertus, ita etiam & illa existentia partium, omni minori minorum, cū non sit determinata, incerta est.

CONTRA. Tum quia hæc responsio nihil dicit ad demonstrationē Euclidis, qui demonstravit futurum contactum nonnisi in puncto, quorsum ergo obtrudantur partes istæ incertæ? Tum quia quamvis darentur partes istæ incertæ &c. & indeterminatæ, tamen illæ determinari

minari & certæ reddi per assignationē possunt: si enim mens, si divisio, si quodcunq; aliud determinat partem, etiam contactus determinabit, cumq; contactus sit quid Physicum, non debet perfici in aliquo, quod subsit nostris intentionibus, sed aliquo Physico & reali, quæro ergo quid illud sit quod tangit? Tum quia vel videt Deus certò & determinatè quid sit illud quod tangitur, vel non videt? si non videt: Ergo nec quidquam tangitur, infallibiliter enim illud videret; Si autem videt certò & determinatè, id quod tangitur, non potest illud esse indeterminatū, determinatus enim tactus, non potest esse rei indeterminatæ. Tum quia quavis ista propositio: aliquis calamus est necessarius ad scribendum, explicabilis sit, per descensum, nihil determinatè significantem, tamen hæc; aliquis calamus scribit, explicabilis est, non nisi per descensum determinatè significantem. Determinatè autem non significaret, nisi esset determinatus. Ergo etiam quamvis hæc propositio, aliqua pars tangi debet, sit explicabilis per descensum, nihil determinatè significantem, tamen hæc propositio: tacta est aliqua pars, debet explicari per descensum determinatè significantem. Determinatè autem non significaret, nisi esset determinata pars, quæ rangeretur; sicut nec determinatè significaret hæc propositio: aliquis calamus scribit, si non esset aliquis determinatus calamus, qui scriberet. Tum quia falsò supponitur, determinationem partis, ex sola figura oriri, cum possit etiam ex assignatione mentali oriri. Instantia etiam adlata non convincit, quia quamvis in ordine ad intellectum limitatum, ly plures, non habeat determinationem, sed à parte rei, & in ordine ad intellectum illimitatum, quodcunque est ly plures, illud vel est majus, vel æquale duobus, nihil enim vagum, existit à parte rei.

RESPONDET secundò Albertinus. Quod sphaera perfecta, nullo modo tactura sit planū perfectum, nulla enim est ad contactum proportio, cum quidquid est in sphaera, globosum sit, & quidquid in plano, planum est. Tangit itaq; sphaera planum in sensu negativo, quia ita erit vicina, ut vicinior esse non possit, sed inter illam & palmum mediabit semper aer, aut aliud corpus, & etiā si gravissima illa sit sphaera, non descender inferius, nec dicetur pendere in aere, nam illud pendere dicitur, quod retentum ita est supra leve, ut possit salvā figurā, descendere inferius.

CONTRA. Tum quia hæc responsio sine necessitate rationem penduli tribuit gravissimo corpori sphaerico: certè enim pendere, non aliud est, quàm non inniti nec teneri solido, extra centrum, illudq; additum de descensu salvā figurā, est merè arbitrarium, cum communis etiā apprehensio, per pendere, intelligat prædictum: Non inniti &c. Tum quia illud corpus quod mediat, vel est punctum vel divisibile; si

punctum; concedis intentum; Si divisibile; Ergo adhuc ulterius plano sphaera approximare poterit, adeoq; & consistere in illo. Tum quia hoc ipsum medium, tangiturne à sphaera vel non? Si non tangitur, cur non? & si manus nunc verè tangitur ab aëre, tangitq; aërem, cur non & illa sphaera? si autem illud medium tangitur à sphaera, vel tangitur in puncto, vel in parte: si in parte? contradicis demonstrationi Euclidis; si in puncto, habetur intentum.

RESPONDET tertio Martinus Olseroski. Unam eandemq; rem habentem diversas formalitates, posse secundum unam formalitatem, ita se habere, & secundum aliam formalitatem, quavis priori identificatam, aliter se habere, & ita v. g. homo secundum animalitatem, formaliter dicit identitatem cum brutis, non dicit autem identitatem cum brutis, secundum rationalitatem; cum ergo etiam quantitas habeat puncta, superficies, lineas, tanquam sui formalitates, sola ratione ad invicem separabiles, sit, ut secundum quod gerit rationem puncti, possit tangi à sphaera, & non tangi, secundum quod dicit alias dimensiones lati & profundi, re divisibili, gerente vicè indivisibilis: sicut enim indivisibile, potest habere officium divisibilis, ut cum Angelus indistat à suæ locabilitatis divisibili sphaera, ita & divisibile, potest habere officium indivisibilis. Supponit autem hæc responsio, illa indivisibilia, esse eadem realiter cum continuo seu divisibili.

CONTRA. Tum quia non datur distinctio virtualis in creatis in ordine ad prædicata Physica; cum autem tangi sit prædicatum Physicum, non potest quantitas tangi, secundum unam rationem, & non tangi secundum aliam. Tū quia hoc quod est aliquid habere se, prout indivisibile, sunt meræ formalitates connotativæ, dependentes suo modo à nostris intentionibus, tactus autem, non debet esse in eo, quod sit dependens à nostris conceptibus. Tum quia punctum, unum dicit quoad entitatem, & subiectum, aliud dicit pro connotato, & cum contactus non sit connotati, neq; illius negationis, debet esse ipsius puncti quoad entitatem spectati: entitas autem & subiectū puncti, est ipsum continuum, quod est latum, profundum, longum. Non erit ergo contactus in indivisibili, & tamen deberet esse ob suppositionem Euclidis.

RESPONDETUR aliter huic argumēto, quod scilicet Euclides & Aristoteles, asserendo sphaeram perfectam tangere planum in puncto, asserant id, non nisi ex suppositione, si daretur & esset possibile, & sicut eum Aristoteles definit: In finitum esse id, cuius secundum partes accipientibus, semper accipere est, & nunquā idem, nec tamen sequitur, quod infinitum possibile sit, illaq; definitio, sensum non nisi conditionatū habet, quod scilicet si daretur infinitum, talis deberet esse naturæ: ita & in præsentia. Quod autē sphaera perfecta sit impossibilis, debet referri in principia præjacta, nempe quia illa sphaera & nō

com.

componeretur ex punctis & componeretur; nō
componeretur quidem; quia compositio conti-
nui ob rationes adlatas, non potest esse ex pun-
ctis; componeretur autē; quia si ipsa, non desine-
ret quaquaversus in punctum, quomodo se de-
finienti, tangeret in puncto. Rursus si sphaera com-
poneretur ex punctis; ita unū punctum penes a-
liud collocari deberet, ut non faciat lineam re-
ctam, non potest autem non facere, lineam rectā.
Quia si nō faceret lineam rectā, deberet aliquo
sui uniri, uni puncto, & aliquo sui obliquari & in-
curvari, obliquatio autē & incurvatio, ei quod
non habet partes, omnino impossibilis est. De-
niq; si deberet tangere sphaera perfecta, planum
perfectum in puncto, deberet desinere in punctū,
si enim non desineret in punctum, desineret vel
in lineam vel in superficiem divisibilem: Si autē
desineret in rem divisibilem, in aliquo etiā divi-
sibili, non autem in puncto tangeret. Sed sphae-
ra non potest desinere in punctum, quod ipsum
probo. Quia si duceretur linea diametraliter, a
centro sphaerae, ad punctū tangens, desineret in
illud punctum; si autem alia ponē duceretur, iti-
dem in punctum desineret, sed non tangens,
quāro: quī fieri possit, ut illud immediatum pun-
ctum evadat, non tangens, si continetur cum
tangenti, & se toto ab illo indistat? Quāro enim
vel distat ab illo, vel non distat? si non distat: æ-
quē tangit: si distat? vel cōiungitur cum illo, vel
non coniungitur? si non cōiungitur? non efficit
sphaeram, si coniungitur & distat? ergo secundū
aliquid coniungitur, ad salvandā continuatio-
nem, secundū aliquid distat, quia non tanget,
planū, tangētē alio. Ergo in illo indivisibili dabi-
tur cōtinuū, & distans, adeoq; nō erit punctum.

OBJICITUR tertio. Quantitas discreta com-
ponitur ex unitatib; quæ indivisibiles sūt. Ergo
& quātitas cōtinua cōponitur ex indivisibilib;.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia
impossibile est componi quantum discretum,
nisi ex indivisibilib; quia ex unitatibus, quæ in-
divisibiles sunt, ex quo enim alio? Unde definiti-
vè plura, sunt unitas & unitas, jam autem non
est definitivè continuum punctum & punctum,
immo non potest esse, ob adlatas rationes. Et
certè compositio quanti discreti, non debet fie-
ri ex talibus, quæ se tangendo constituent mag-
nitudinem; e cōtra, quantitas continua, requi-
rit esse contactivā; indivisibilia autem non sunt
apta, ut tangendo se, faciant magnitudinem.

Solet pro hac sententia citari etiam Aristote-
les ex 4^{ti} Physic. tex. 35. ubi docet recipi lumen
in superficie corporis dēsi & opaci, nec ullo mo-
do in aliqua profunditate, aliās non esset perfe-
ctē opacum. Sed loquitur Aristoteles de profū-
do simpliciter seu notabiliter, quod in tali non
recipitur Lūmē, nec requiritur ad opacitatem
perfectam, universaliter, compositio ex indivi-
sibilibus.

Quod attinet ad sententiam componentium ex par-
tibus in infinitum divisibilibus Quantum. Pro illa.

OBJICITUR primò Auctorita Aristotelis
ad illam.

RESPONDERI potest. Imprimis claras &
argumentis propositas rationes Aristotelis ha-
beri, non nisi pro hoc, quod continuum non
componatur ex indivisibilibus, sed de divisibi-
litate in infinitum nullā haberi demonstratio-
nem Aristotelicam, forteq; agnovit divisibili-
tatem in infinitū hōc sensū, quod medietas in
dimidia, dimidia in alia dimidia dividi possint;
ita ut nulla sit potentia creata, quæ ita minu-
tim dividere possit, ut deveniatur ad indivisi-
bile, vel positā divisione, non contentivum
quantitatis. Deinde hoc dici posset, quod in i-
stis quæ concernunt omnipotentiam Divinā,
non multum sit deferendum auctoritati Ari-
stotelis; hinc ipse innixus illi principio: Ex ni-
hilo nihil fit, concedebat DEO vim creandi
de novo, & quia devenire ad ulterius non di-
visibile, nec ratio Aristoteli suadebat, nec ex-
perientia, ideo voluit illud ulterius, & ulterius,
esse divisibile, loquens prout philosophus per
ordinem ad potentiam creatam.

OBJICITUR secundò ex recentiori Suar.
Possibile est componi quantitatem ex parti-
bus in infinitum divisibilibus.

RESPONDETUR. Dictæ rationes volunt o-
stendere implicantiam.

INSTAT idem. Si daretur quantitas infini-
tè extensa, collocaretur autem in puncto, illa
quantitas esset indivisibilis in infinitum in par-
tes æquales. Ergo etiam possibile erit quodlibet
continuum habere partes infinitas potentia.

RESPONDETUR. Conditionata quidem
conceditur & sequela illius, sed negatur posse
dari quantitatem infinitè extensam, cuius si
negetur possibilitas, quomodo sequeretur possi-
bilis compositio continui, ex partibus in
infinitum divisibilibus? Deinde si positā quan-
titate infinitè extensā non sequeretur accepti-
bilis partium æqualium infinitarum, seque-
retur absurdum, nempe & fore, ut supponitur,
illam quantitatem infinitam, & non fore infi-
nitam, quia exauriretur per mensuras finitas.
Unde per locum intrinsecum ex infinitate se-
quitur acceptibilitas in infinitum, non sequi-
tur autem per locum intrinsecum ex conti-
nuo, divisibilitas in infinitum.

DICES tertio. Cōtinuum constat partib; di-
visibilib; nō ergo potest ultimò dividi, quia et-
iā ultima illa divisio, fieret in partes divisibiles.

RESPONDETUR. Sicut non tenet hæc
Consequentia; palmus constat semipalmis.
Ergo non potest ultimò dividi nisi in semipal-
mos, ita nec prior illa tenet. Sicut ergo palmus
constat semipalmis manens palmus, ita divisi-
bile constat partibus divisibilibus, manēs divi-
sibile. Nego autē semper manere debere divi-
sibile. Unde illud etiam Antecedens, Conti-
nuum cōstat partibus divisibilibus, hōc sensū est
verum, quousq; scilicet continuum manet; sed
nego

negō divisione devenire non posse, ut non maneat continuum. Et certē Continuum definitivē est, cuius extrema sunt unum, hinc quousq; manet continuum, divisibile erit, si enim habet Extrema, quomodo non habet plura? si plura, quomodo non divisibilia à se. Unde concedo cum Aristotele 6. Phys. T. 4. Continuum semper esse in ea quæ insunt divisibile. Sed nego docuisse Aristotelem, hoc, quod semel continuum est, debere esse continuum semper, licet quousq; manet continuum, sit semper, & deinceps divisibile, & quod in divisione illius, non veniatur ad indivisibile, seu ut loquitur Aristoteles inibi, ne sit indivisibile, indivisibile tangens. Nos autem non dicimus in divisione continui deveniri ad Indivisibile, de quo infra. Primi autem Physicorum T. 15. *Infinitem enim* (dum inquit) *in quanto est*, non significat in Infinitum divisibilitatem partium, sed solum quod infinitudo spectet ad quantitatis prædicamentum, non substantiæ, aut Qualitatis, unde addit: *Infinitem enim ratio, Quanto utitur.*

QVÆSTIO II.

De Compositione Continui Successivi per alios.

SUCCESSIVA duplicia sunt; quædam successiva, ratione sui fieri, in re autem permanentia sunt, & ita productio caloris successiva est, calor autem productus, est quid permanens. Alia autem etiam in suo esse, successiva sunt, & talia sunt, tempus, motus localis successivus &c. Porro sunt aliqui, qui quamvis censeant, continuum permanens non componi ex indivisibilibus, ut recentior Suarez, censet nihilominus continuum successivum, componi ex solis indivisibilibus.

PRIMA ITAQ; EST SENTENTIA. *Continuum componi ex indivisibilibus.*

CONTRA est primò. Quia continuum permanens non componitur ex indivisibilibus, Ergò nec continuum successivum.

RESPONDET recentior Suar. disparitatem esse. Quia in continuo permanenti, indivisibilia ambo simul existunt, & cum sint indivisibilia, neutrum resistit alteri, sed utrumque est simul cum alio; in continuo autem successivo, in quo nimirum indivisibilia non eò existunt, & unum non est simul cum alio, sed post aliud, ideoque facere possunt extensionem. Sed redit argumentum, quare hæc indivisibilia, quæ sunt simul cum alio, non possunt facere extensionem, possunt autem facere extensionem indivisibilia, quorum unum succedit alteri, & quid plus adfert existentia unius, & non existentia alius, ad extensionem, quod non adfert, existentia utriusque,

CONTRA secundò. Quia ad veram successione, quæ condistinguitur à positione discretorum immediata, qualis reperitur, dum ab extremo ad extremum transit Angelus, non transeundo medium, requiritur ut secundum aliquid sui, conjungatur, secundum aliquid recedat, cum autem indivisibilia non possint pati Ly; Aliquid sui, nec erunt apta ad constituendum successivum.

CONTRA tertio. Quia universaliter assumit Aristoteles, quod indivisibile, non possit facere extensionem.

DICES primò cum Oviedo. Partes temporis sunt essentialiter successivæ, ergò nunquam sunt duæ partes illius simul, hoc ipso enim, non essent successivæ. Ergò ulterius nunquam existet, pars illius divisibilis; si enim existeret pars illius divisibilis temporis, hoc ipso existerent partes, in quas dividi potest, seu partes successivæ, quas non posse simul existere, probatum est.

RESPONDEBIS primò. Quod partes temporis existant successivæ & non simul, talis enim debet esse existentia partium, qualis existentia totius; & ita homo, cum sit natura sua permanens, & partes illius, & totus homo, existit simul; cum verò tempus sit natura sua transiens, etiam partes illius transeuntes erunt, existentiamque illius deposcent, non nisi successivam. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia ut urget idem, id quod est successivè, partim est actu, partim fuit, partim erit, quare ergò de illo temporis quod est actu, estne successivum? si non est successivum; Ergò est instans. Si est successivum; Ergò partim est, partim erit, partim futurum est, quæstio autem est, de eo solo, quod actu est. Tum quia si id quod est *Actu temporis*, existeret successivè, verum de illo esset dicere; Non est *Actu temporis*, quæ sunt contradictoria, quia de illo quod est actu temporis, verum esset dicere, successivum est, si successivum est, verum erit quod existit, vel exiturum sit, insuper quod existat. De eo autem quod existit, verum est dicere: Non est *Actu temporis*, sed fuit: De eo etiam quod exiturum est, verum est dicere: Non est *Actu temporis*, sed erit. Ergò à primo ad ultimum, de eo quod est actu temporis, si successivum est, verum est dicere; Non est *Actu temporis*. Tum quia successivè existere, non est nisi existisse vel exiturum esse. Si ergò tu tribuis temporis existentiam non nisi successivam, tribuis illi quod extiterit vel exiturum sit; hic autem quæritur de eo, quod existit temporis.

RESPONDEBIS secundò cum Hurtado. Quod tempus existat secundum partes indeterminatas, & licet nulla pars determinata temporis possit existere tota simul, partes tamen indeterminatæ, possunt existere totæ simul. *Hæc Responsio*

NON

NON SATISFACIT. Tum quia nullæ dantur actu partes & tamen indeterminatæ temporis, determinatam enim, & non vagam existentiam habent. Tum quia partes illæ indeterminatæ vel habent ordinem prioris & posterioris, vel non habent? Si non habent? ergo non sunt partes temporis, quod definitur per ordinem prioris & posterioris; Si habent, ergo non cōexistunt, sed una est prius, alia posterius. Tum quia partes determinatæ temporis, non possunt existere totæ simul, ergo nec partes indeterminatæ.

RESPONDEBIS tertio. Partes temporis, esse simul, non quomodocūque sed simul in esse fluenti. *Hæc responsio.*

NON SATISFACIT. Tum quia simul, & in esse fluenti, sunt termini, qui non se compatiuntur, si enim aliquid fluit, necessariò succedit, si succedit, simul non est. Tū quia videtur in hoc esse manifesta principii petitio, dicere enim successivum, simul in esse successivo existere, est petere principium, de hoc ipso enim quæritur quomodo successivum, *simul*, successivè tamen existere possit. Ergo etiam dicere quod successivum simul in esse fluenti existat, est petere principium. Tum quia hoc quod fluenter existit, vel est divisibile vel indivisibile? si indivisibile, habetur intentum; si divisibile, habebit hoc ipso prius & posterius, de hoc autem ipso quæritur quomodo existat utrumq; simul?

DICES secundò. Potest DEUS in uno instanti creare Angelum, & in altero illum annihilare, aliàs non esset illi libera conservatio creaturæ.

RESPONDERI solet primò negando antecedens. Unde si velit Deus creatum uno instanti Angelum annihilare, debet expectare tempus, nec per hoc officitur quidquam libertati Divinæ, sicut non officit quidquam libero dominio Dei, quod non possit 24. horas, ponere simul, quia hoc oritur, ex ipsius impossibilitate objecti. Impossibile autem est, ut immediatè sequenti instanti, annihilaret Deus Angelum, priori immediatè instanti creatum, cum post instans nullum sit, nec possit esse immediatè, sequens in tempore, instans. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia secundum dicenda quamvis immediatè sequenti instanti annihilaret Deus Angelum, nondum sequeretur instans temporis post instans temporis. Tum quia, vel sunt stata hæc instantia quibus creari. v. g. potest Angelus vel non stata? si stata, ergo non semper est DEUS expeditus ad creandum in instanti Angelum, casu quo in tempore, statum illud instans, non respondeat. Ergo non omni tempore potest justificare impium, casu quo statum instans non respondeat, quo deberet produci gratia, quæ ut potè spiritualis in instanti producitur: Si autem

non est statum hoc instans, cur volente DEO annihilare immediatè post instans creationis, non poterit respondere annihilatio. Et certè non creet Deus in instanti (quo supponitur creasse) Angelum, cur eo tempore quo tu dicis posse illum annihilare immediatè non sequetur non nisi instans, adeoq; id, in quo creari possit Angelus, adeoq; etiam annihilari prius creatus. Quis credat consecrantibus tot Sacerdotibus & tot communicantibus, nunquam deveniri ad hoc, ut hic quidem primò incipiat esse Christus consecratione, & nullo interposito tempore alibi ultimò sit? quis credat ut dum hic ultimò est, per totum mundum nullibi possit immediatè post, primò esse, sed non nisi expectato tempore: quænam hoc revelatio docet? vel ad quem fidei articulum defendendum id requiritur? cur non dicatur hoc quidem instantaneè produci, hoc immediatè annihilari, nihil proportionati correspondere in tempore? ut effugiat hoc absurdum, quod DEUS debeat interrogatus dicere potesne nunc creare? non possum! quia modò est tempus, sed debeo expectare instans, cumq; illud tempus per totam æternitatem sit divisibile, si divideretur per totam æternitatem, non potest quidpiam creare. Quis item credat hic dum separatur anima, nullibi in mundo, aliam immediatè post creari? Quis credat dum instanti affirmat aliquid Angelus vel Petrus, immediatè toto universo, nec hunc Angelum nec alium posse, quicquam affirmare, affirmaret enim in divisibili & instantaneo iudicio, sed debere stare obstipum, aut nescio quam, non nisi divisibilem notitiam ponere. Tum quia sit impossibile tempus, poteritne tunc creari Angelus, & statim annihilari? si non poterit, cur? si enim idè non potest, quia impossibile est compositum tempus ex instantibus, cum sit impossibile, debet esse compositum ex instantibus adeoque in quorum uno possit creari, in altero immediato annihilari: Si autem in illo casu potest annihilari immediatè Angelus, etiam nunc annihilari poterit, quid enim obest motus cælorum, nec res alià possibilis ex se, sit impossibilis, cumq; possibilitas unius rei, non officiat possibilitati alijs rei, etiam possibilitas motus cælorum seu temporis, non officiet possibilitati immediatè sequenti annihilationis Angeli. Tum quia, si non posset annihilare DEUS Angelum instanti immediatè sequenti, non esset liber in ejus conservatione. Quod ipsum probatur. Si DEUS non posset auferre existentiam homini, non esset liber in hoc, quod homo existat animal rationale. Ergo etiam si DEUS non potest immediatè annihilare Angelum, non esset illi libera conservatio Angeli. Et certè non est possibilis creatura, quæ possit reddatur impossibilis positio alijs creaturæ, saltem in diverso loco, subiecto &c. Ergo etiam

inter mysteria fidei apprimè difficilia. Hinc prætentanda erit alia via, ita tamen, ut hæc quæ adferentur, sint sine præiudicio ut dicuntur sententiæ melioris, quæ vel hæc ipso, quia communis est, probabilior est. Et ea quæ adferam, non tam doceo, quam prætento viam, an doceri possint? & melioribus ingeniis materiam offero, erudiendi verum: unde mox, cum *Ly Posset*, scilicet diminuente Particulâ, sententiam hanc proponam impugnandam, aut illustrandam.

DIFFICULTAS I.

Explicatur continuum permanens.

DICI POSSET I. *Quantum neq. componi ex indivisibilibus, neq. ex partibus in infinitum divisibilibus, neq. ex partibus finitè divisibilibus, nec quidquam esse ex quo actu componatur, compositione, de qua in præfenti.*

Prima & secunda pars supponitur in superioribus discussa. Tertia & quarta pars probatur.

Omne quod componitur Physicè & actu componitur ex pluribus actu, sed in continuo non sunt plura actu, quia non sunt partes actu distinctæ. Ergo neque est compositio actu. Major supponitur ab omnibus, & probatur, sic: quia si aliquid non habeat partes, non erit compositum sed simplex, ut videre est in Angelis, animâ &c. Ergo etiam, si non habeat partes plures actu, non erit compositum actu. Addidi expressè quod continuum nō habeat, ex quo actu componatur, compositione de qua in præfenti. Admitto enim quantum componi ex materia & forma, sed huius compositionis non est hic locus.

Potius ergo inquiri debet, an in resolutione continui deveniendum sit ad indivisibilia? an ad semper divisibilia? an tandem ad minima? ex quibus quia indistinctis actu non poterit dici componi, sed rigorosè loquendo potius resultare totum, quod qua tale, partes non deposcit. Unde totum hypostaticum, constat naturâ humanâ, & Personâ Verbi, neque tamen Persona Verbi, est pars. *Et circa hanc difficultatem*

DICI POSSET II. *In resolutione Continui, deveniendum tandem ad minima Physica.* Hanc conclusionem in re docuerunt antiquiores, dum censuerunt componi continuum ex partibus finitis divisibilibus. Eam innuit Coninck & Lessius apud de Lugo Disputat. 18. de Eucharistia, Sect. 3. ubi asserunt Christum non esse infinites potentiâ, sed finities in Eucharistia, juxta numerum finitarum particularum sensibilium, docentes Christum non permisciturum, ut tale minimum in fractione hostiæ

dividatur: ubi supponunt, quod si divideretur, nō foret sub illa particula Corpus Christi. Quod autem illi docent de Corpore Christi, idem nos cum restrictionibus infra ponendis, dicimus de quantitate. Haberi etiam ejus fundamentum potest in Euclide Lib. 1. Prop. 1. Ubi dicit: per divisionem perveniri tandem ad magnitudinem, quæ sit minor, propositâ minori magnitudine, tandemq; ut Angulus rectilineus, sit minor angulo contingentia. Fortè etiam aliquantulum meminit huius sententiæ Aristoteles, nam hic censuit quantitatem non esse à subiecto separabilem, & tamen primò Physicor. Tex. 18. & secundo Physicor. Tex. 35. dicit: substantiam, sublata quantitate non esse divisibilem, cum autem tolli illa non possit à substantia, utpotè inseparabilis ab ipsa, nisi divisione ipsius substantiæ, admittit hoc ipso deviniri ad talem divisionem substantiæ, quæ divisibilitatem ulterius non admittat, amittendo scilicet multitudinem partium, seu quantitatem divisibilitati subiectam. Huius sententiæ accipi primum fundamentum cogitandæ, sub meo doctissimo Professore Patre PETRO PAPIESKI, qui discurrens quandonam Sacramenta causent gratiam, docuit illam causari in minimo sensibili. Cujus Scripta magno inter alia pollent encomio, quod quo diutius leguntur, magis semper sapiant, & informet.

Probatur hæc Conclusio argumento non nisi negativo. In resolutione & divisione continui, non devenitur ad indivisibilia, ut probatum ex Aristotele. Ergo deveniatur ad partes. Non ad partes semper divisibiles, propter difficultatem supra propositam. Ergo ad partes non ulterius divisibiles, quas appello minima Physica. *Ut intelligatur Conclusio*

SUPPONO primò. In istis quæ partes & molem requirunt, devenire tandem est, ut nisi certa moles detur, illa dari non possint. Sic devenire est ad minimum materiæ, quo non dato, Corpus organisari & formari non potest. Rursus quia molem & partes certas, requirit ulna ex semiulna, ne divinitus quidem, cæteris salvis, fieri potest ulna. Conformiter ad hæc dici potest rationem quanti requirere partes, & molem determinatam, adeoque, deveniri posse ad tale minimum quantitatis, ut nisi eo salvo & integro, subsistere possit quantitas, ita, ut sicut organisatio in corpore, longitudo in ulna, determinat sibi certam magnitudinem; ita eam determinet sibi etiam quantitas: consequenter dico, in illa medietate minimi, non esse jam reperibiles alias medietates quantitativæ: & sicut si quæram in sententia communi: cur non possit dividi quantitas in partes non ulterius divisibiles? respondebitur, quod id proveniat ex essen-

† b b

tia

tia quantitatis : ita in presenti dici potest, quod medietas minimi, non habeat aliam medietatem quantitativam, provenire ex essentia minimi, quam defendit præsens sententia aliunde eam efficaciter non expugnans.

SUPPONO secundò. Hoc minimum Physicum, non idem esse cum indivisibilibus Mathematicis, nam indivisibilia nullo modo medium, nullo modo partes habent, minima autem Physica qualia admittimus, utrumque hoc habent : per Euclidem autem punctum est, cuius pars nulla est.

SUPPONO tertio. Quamvis quantitatem emanet ex se materia tanquam sui proprietatem, dico tamen materiam si non habeat requisitam molem, non emanaturam ex se quantitatem : nam esse emanativum quantitatis, est proprietas materiae, eamque ubique servat, ubi materia est, emanare autem actu quantitatem, convenit illi secundum conditionem requisitorum, & sicut componere compositum viventis, pertinet ad materiam, id tamen præstat, non nisi in certa mole, ita & emanabit quantitatem, non nisi in certa mole. Rursus ipsa quantitas de se extremitativa subiecti, si divinitus in Angelo poneretur, non eum extremitaret defectu subiecti apti : ita & materia defectu molis requisita, posset fieri, quod non emanaret ex se quantitatem. Vides supposita hæc procedere de minimo materiae, nam de minimo quantitatis, dicitur Difficultate tertiâ, Puncto secundò.

SUPPONO quarto. Agens naturale non posse pervenire vi suâ propriâ, ad divisionem usque minimi Physici, quia in communi sententiâ supponitur, quod nullum agens naturale, possit spoliare materiam quantitate. Casu autem, quod id supernaturaliter faceret, ex templo residua cessarent esse quanta. Quod si divinitus & contra exigentiam quantitatis, retineretur in dimidio minimi materiae quantitas, præstaret eos effectus de quibus infra, pro nunc suscepit dicere, quod ob defectum partium requisitarum ad extendi, haberet se consimili modo atque si poneretur in Angelo, vel si poneretur in semipalmo, sine rarefactione quantitas ulnaris ; licet esse aliqua dissimilitudo, eò quod illud subiectum, haberet adhuc partes, quantumvis insufficientes ad extendi. Sicut ergo si poneretur quantitas centum pedalis in materia, quæ esset non nisi uni pedi apta, non tribueret illi extensionem centum pedalem, defectu multitudinis partium requisitarum, sic & in præsentia.

DICES. Angelus si divideret partes continui naturaliter, vel non deveniret per to-

tam æternitatem ad minimum Physicum, vel deveniret : Si deveniret, est hoc contra suppositum ; Si non deveniret : Ergò continuum habet partes in infinitum divisibiles.

RESPONDETUR. Quod non dicat hoc suppositum, quod vi naturali Angelus non possit devenire in divisione continui, ad minimum Physicum, sed quod ubi pervenerit ad minimum Physicum, non possit illud ipsum dividere. Deinde si occupari debet in hac divisione tota æternitate, nunquam etiam deveniet ad illud minimum, sed semper & semper deventurus est, non deveniet. Sunt & æternitas à parte post, non habet sui verificaturum : Est, sed tantum : Erit quod dicitur eo intuitu, ut defendatur communis sententia docens, quod Angelus non possit spoliare materiam omni quantitate.

SUPPONO quinto. Casu quo DEUS in medietate minimi materiae divisi, conservaret miraculosè quantitatem, vel cum nunc de facto aliqua medietas minimi informatur quantitate, non potest in illa præcisâ medietate assignare sua mente rationem dimidii. Ratio. Quia sicut non potest videre DEUS in nigro, seu quod non habet albedinem, videre inquam non potest albedinem, ita nec in eo quod non habet medietatem, videre potest medietatem ; medietas autem minimi, non habet medietatem, quia hoc ipso, illud minimum, non esset minimum. Haberet enim aliquod minus se, subintellige divisibile re, vel assignatione.

SUPPONO sexto. Medietatem Minimi, habere se ad Minimum, sicut se habet semivulna ad ulnam, quam componere potest, appellarique ulna, accessu semivulnæ aliûs ; ita & illa medietas accessu aliûs medietatis appellabitur minimum Physicum. Et sicut quidquid demptum fuerit ex ulna hoc ipso jam non erit ulna, ita quidquid demptum fuerit minimo Physico, quod suppono non aliud jam esse, quàm medietatem minimi, hoc ipso jam non erit minimum physicum.

SUPPONO septimò, quod ex illo Minimo non possit auferri, unum aliquod indivisibile, quia nec in illo est, & si esset, haberet, casu, quo ab ulna demeretur punctum in sententia Aristotelica ; & sicut quamvis si quid demptum fuerit ab ulna non erit ulna, inde tamen non sequitur consistere ulnam in indivisibili Metaphysico, hoc est, in requisitione tantitatis determinatæ ad sui essentiam ; ita non sequetur minimum illud, esse indivisibile Mathematicum.

DIF.

DIFFICULTAS II.

Explicatur continuum successivum.

AGrè capit mens, ut si hoc instanti Deus, creavit animam rationalem, non possit immediatè sequenti, auferre Paulo vitam, nec creare cum libuerit, sed meriti se tempore, ut illo non nisi transacto producat aliquid, indigens instantaneè produci. Hinc etiam in præsentipræterenda est via.

DICI POSSET. Quod etiam continuum successivum v. gr. motus & tempus resolvatur in minima Physica. Probatursimili argumento, quo probata supra conclusio secunda. Unde consequenter dico verb. gr. immotu, devinire posse ad minimum; ita, ut jam quidquid illud Minimum motus non æquat, quies debeat esse, & negatio motus successivi, & divisibilis. Unde velocitas motus inde erit, quia in velociori motu, mobile ut inquit Aristoteles multum in paucis, hoc est tempore movetur, occupatq; in certo tempore magnum spatium, hoc est in plura minima divisibile, in tardiori autem motu, mobile parum, supple spatii, in magno, supple tempore, occupat; parum inquam spatii, seu in pauciora minima divisibile. Quia verò de tempore speciales difficultates haberi possunt, hæc aut explicentur.

SUPPONO PRIMÒ. Tempus non esse entitatem aliquam realem & physicam, condistinctam à motu cælorum; & hoc est quod innuit Aristoteles; tempus pendere ab anima & intellectu, sed solum homines, cum viderent aliqua durasse, aliqua duratura esse, voluerunt habere mensuram, appellantur tempus. Porro cum non atteneerint ad mensuranda hæc quæ hic & nunc sunt; nam hæc sibi meritis mensura sunt, & præsentia illorum, sufficientem sui causare potest cognitionem, sed attendebant magis ad ea, quæ transierunt vel ventura sunt: Hinc Aristoteles tempus appellavit mensuram & numerum motus, secundum prius & posterius.

SUPPONO SECUNDÒ. Explicationem hujus termini: mensura & numerus. Qui accipisti potest PRIMÒ pro numero numerante qualis est 1. 2. 3. SECUNDÒ pro numero numerato, seu pro rebus quæ numerantur; ut unus equus, duo equi. Porro tempus cum sit mensura durationum, necessariò pro numero numerante accipere debet.

SUPPONO TERTIÒ. Explicationem hujus termini: prius & posterius, & dico quòd cum homines vellent habere numerum & mensuram regularem, & ex alia parte volebant mensurare, ea vel maximè, quæ fuerit

& futura sunt, hinc quærere debuerunt, id quod extitit & extitutum est, idque æqualiter quoad omnia. Nam sicut numerus numeratus, si sit primum par, numerari non potest, nisi per numerum numerantem 2. ita & durationes quæ habent prius & posterius, numerari non potuerunt, nisi per id, quod notum cum sit, habet prius & posterius, idque æqualiter ad certificandum homines intra communionem vitæ. Et pro hac mensura acceperunt motum cælorum, qui factus est, & fiet, unde hoc quod duravit, per omnes motus quibus Sol percurrit Zodiacum semel, dicunt illud durasse tempore unius anni, illud autem, quod incipiet post duos decursus Zodiaci, dicunt intra tempus duorum annorum futurum. Quanquam pressius loquendo: Ly prius, non pro solo præterito tempore, nec Ly posterius pro solo tempore futuro accipiuntur: nam in ipso præterito, sunt quæ prius & quæ posterius præterierunt, in ipso item futuro sunt, quæ prius sunt, quæ posterius futura sunt, accipitur itaque prius & posterius pro applicabili pro eo, quod tam in præterito, quam in futuro, sive prius, sive posterius est.

SUPPONO QUARTÒ. Ad defendendam definitionem temporis, & ad difficultates, quæ pro compositione temporis ex solis instantibus proponi possunt, hoc tenendum esse.

Tempus dupliciter spectari posse. PRIMÒ Aristotelicè seu Philosophicè, hoc est secundum quod dicit rationem prioris & posterioris, adeoque rationem completi, & ita tempus acceptum excludit rationem Nunc, rationem præsentis, rationem Actû est idque ideò. Tum quia, ut dixi. Omne de quo dici potest: Non nunc, excludit rationem Nunc; sed quod importat rationem prioris & posterioris, importat rationem Non nunc. nam de priori dicitur, Non est nunc, & de futuro, Non est nunc. Ergò tempus quod dicit rationem prioris & posterioris excludit rationem Nunc. Tum quia id quod definitivè involvit rationem prioris & posterioris, definitivè involvit extitit & existet, de eo autem quod est actû, non potest dici sub hac formalitate, extitit & existet: & sicut est impossibile unum diem coexistere cum suis 24. horis totis simul, ita nec potest coexistere Nunc cum ordine prioris & posterioris, utrumque enim successionem, necessariò involvit. Tum quia Aristoteles 4. Phys. tex. 34. insinuat. Nunc seu instans esse quid imaginarium, quod autem habet rationem prioris & posterioris, non est imaginarium. SECUNDÒ potest accipi tempus Mathematicè, inadæquatè, inchoativè, tanquam hoc aliquid demonstrabile, &

ita acceptum, non involvit rationem prioris & posterioris, sed rationem *Nunc*, instantis, presentis &c. Et istud tempus Mathematicè acceptum, non debet censeris rigorosè loquendo inter partes temporis Philosophici, quia ei sic accepto non convenit ratio prioris & posterioris, cum tamen tempus Philosophicè acceptum, importet illam. Imò rigorosè loquendo nec deberet dici tempus Mathematicè acceptum pars temporis Philosophici, quia in quantis, quod habet rationem partis, repetitum commensuratur toti, jam autem *Nunc* seu instans non potest commensurari, habenti prius & posterius. Denique dici potest, quod rigorosè loquendo non existat tempus Mathematicè acceptum, dum enim dicit Aristoteles illud pendere ab animi, hoc ipso illi existentiam, nonnisi intentionalem tribuit. Et certè cum tempus non aliud in re sit, quam motus celorum, cum hic, non ita sit tardus, ut tardior esse non possit, & cum non ita sit velox ut à termino ad terminum sine medio procedat, sit ut ille motus, non possit dici indivisibilis, consequenter nec tempus, quod in re est motus, erit indivisibile, consequenter nec habebit rationem *Nunc*, nec habebit jus ullum proprium existendi, utpotè habens jus existendi nonnisi identificatum motui celorum, propriaque illius & condistincta ab alius existentia, erit nonnisi imaginaria. Potest tamen aliquo modo & inadæquatè dici, ratio *Nunc*, Tempus ad eum modum quo puncta terminativa, in sententia admittentium illa, spectant ad quantitatem, vel sub hac formalitate, quia *Nunc* cum jam præterierit, habebit rationem prioris, in quantum prius erit sequentibus *Nunc*; rationem autem posterioris habebit, in quantum succedit antecedentibus *Nunc*.

Sed quomodo verificabitur de tempore Philosophicè accepto, quod extiterit vel extitutum est, si de Philosophicè accepto non potest verificari *Nunc* existit? Imprimis verificatur hæc propositio, existit motus non ita tardus, quin tardior dari non possit, & huius verificatio fundat verificationem quod extiterit vel extitutum sit. Rursus cum aliquomodo spectet tempus Mathematicè acceptum ad tempus Philosophicè acceptum, uti dixi, sit ut ratione huius *Nunc* verificari possit de tempore Philosophicè accepto, quod extiterit vel extitutum sit.

SUPPONO quintò. Quod quando creatur Angelus, anima producit &c. nihil tunc respondeat proportionatum tempore Philosophicè accepto, vel in motu celorum, sed responder tantum tempus non Philosophicè sed Mathematicè acceptum seu tempus, quod Aristoteles dicit, pendere ab anima. Quod autem nihil proportionatum respon-

deat in tempore Philosophicè accepto. Ratio est; quia inter illud quod essentialiter dicit rationem prioris & posterioris, & inter illud quod essentialiter excludit rationem prioris & posterioris, nihil omninò adæquationis & correspondentiæ proportionisque est.

Neque valet, si dicas, respondere partes indeterminatas, hæc enim alibi impugnata sunt; Et certè, vel ille partes indeterminatæ sunt æquales, vel inæquales durationi intrinsecæ productionis instantaneæ Angeli v. gr. si æquales, Ergo si duratio intrinseca productionis Angeli, est instantanea, ita & partes illæ, erunt instantia; Si autem pars indeterminata est inæqualis? est inæqualis vel per defectum commensurationis illi instantaneæ productioni? vel excessum? si per defectum. Ergo datur instanti minus: Si per excessum, Ergo diceretur res durare extrinsecè, cum non durat intrinsecè. Supponitur autem duratio intrinsecæ illius actionis, nonnisi instantaneæ esse.

INFERES primò. Possit Angelum in uno instanti annihilari, in altero priori produci, neque tunc sequetur instans post instans in tempore Philosophico, quia in illo nihil proportionatum responder, sed sequitur instans post instans intrinsecum, & intempore Mathematicè accepto seu quod pendet ab anima, sequitur *Nunc* post *Nunc*, nunc enim creatur, in immediatè sequenti post, *Nunc*, annihilatur. Ad quod illustrandum potest etiam hoc materiale exemplum assumi. Moveat se testudo, moveat etiam aliquis orbis celerissimus, quo casu, non responder ullus tardus motus orbis, testudinis motui, sed se habent sicut improportionatum. Quæ de hoc instanti intrinseco, & instanti extrinseco adferri possent, præter ante dicta, petantur ex materia de motu Angelorum ab uno extremo ad aliud, eo enim translata sunt.

INFERO secundò. Reflectendo ad materiam de inceptionibus & desitionibus rerum, in uno instanti intrinseco Mathematicoque temporis expellitur verus forma, in alio autem inducitur nova, in tempore autem Aristotelicè accepto, nihil proportionati responder.

INFERO tertio. Quandonam sacramenta causant gratiam. Nam si Ly Quando, referatur ad ipsa verba, causant tunc, cum completam habent significationem, completam autem habent significationem, cum ultimo sensibilia fiunt, humano modo in sui prolatione; incipiunt autem esse ita sensibilia, cum deveniunt ad illud minimum, quod si dividas, nondum est sensibile humano modo, si addas, jam fit sensibile; Si autem Ly; quando, referatur ad ipsam gratiam, prout prout primò pro-

producitur, illa quia producitur tota simul, producitur in instanti Mathematico, cui nihil proportionatum respondet in tempore Philosophicè accepto.

DIFFICULTAS III.

Solutio Objectionum.

PONENDÆ sunt inprimis Objectiones, quæ videntur æquè militare contra nostram sententiam, ac contra sententiam Zenonis.

Punctum Difficultatis I.

Quomodo in his Principiis dividi possit linea, & quomodo minimas se tangant.

OBJICITUR primò. Posito quòd in resolutione continui deveniatur ad prædicta minima Physica explicari non poterit, quæ linea recta dividi possit in partes æquales, quod tamen fieri posse demonstravit Euclides.

RESPONDETUR. Si ponatur linea tribus v.g. minimis constare, in æqualia fiet divisio, quia minimum, quod est in medio, duabus medietatibus constat, adeoque talibus quæ posita divisione per medium æqualitatem fundent. Si verò ponatur linea constans duobus minimis Physicis & medietate unius minimi, adhuc in æqualia fiet divisio, quia medietas illa habebit se per modum medii communis, intentum autem demonstrationis, non vetat ne salvetur æqualitas divisionis in linea recta, si aliquid ponatur per modum medii communis utriusque. Quod ipsum illustrari potest instantiâ, admittente, ex rebus & punctis continuativis constare quantitatem si enim ponas lineam constare ex rebus A.B. & ex puncto continuativo, illa linea in æquales partes divideretur, quia illud punctum esset per modum termini communis.

Repetietiam possunt superius dicta; demonstrationes Mathematicas non esse absolutas, sed ex hypothesi, nec Mathematicum attendere, quòd quantitas componatur ex partibus in infinitum divisibilibus, vel punctis, sed procedere v.g. ex suppositione divisibilitatis in infinitum. Reperiuntur etiam Mathematici, qui ostendunt salvis demonstrationibus posse defendi, quantitatem constare ex punctis, multòque magis minimis. Proposueram etiam hanc sententiam Patri Ricciolo & Socio ejus Patri Grimaldi notis in Italia Mathematicis, censuerunt hæc posse dici salvis demonstrationibus Mathematicis.

OBJICITUR secundò. In dicta sententia non posse explicari, quomodo ratio contactus possit convenire quanto.

RESPONDETUR. Ponatur linea constantibus minimis A.B.C., ponantur rursus uniuscujusque minimi duæ partes, prior 1. posterior 2. hoc posito dici potest quod 2. minimi A, tangat 1. minimi B; & 2. minimi B; tangit 1. minimi C. consequenter nec se penetrant faciuntque non penetrata extensionem localem. Restat nihilominus explicare, quæ ipsæ partes medietatis minimi, si dantur, vel ipsæ medietates minimorum se contingant?

Circa contactum ipsarum medietatum minimi, hoc dici potest: quòd illæ medietates minimi, tangant se totis, non tamen se penetrant, quod ipsum sic explicatur. Ex ratione contactus ut sic, non sequitur penetratio, ut experientia & ratio probat. ex contactu etiam partibus, non sequitur penetratio partibus, neque enim digiti dum se contingunt penetrant se. Ad hoc ergò, ut vel ex contactu partibus, vel ex contactu totis, sequatur penetratio, debet habere contingens unum, respectu alius, intretitatem. Porro quando se totis tangunt illæ medietates, unum respectu alterius intretitatem non habet propter principium aliunde superadditum, scilicet quantitatem, cujus saltem secundarius effectus est impenetrabilitas.

Quod autem dictum de quantitate superaddita, faciente ne medietas minimi materiæ, possit penetrare medietatem alius minimi materiæ, idem proportionaliter dici debet, quòd faciat etiam sui medietates non posse penetrari: sicut enim quantitas & sibi & alteri adfert rationem extretitatis, ita & rationem impenetrativitatis.

Neque valet si idem applies, ostendendo quòd puncta, quamvis se tangant totis, non se penetrant, non inquam valet si idem applies. Quia Zenonistæ non admittunt quantitatem esse accidens superadditum, ut videre est in Arriaga. Rursus sententia illorum, saltem per ordinem ad minima ipsa se contingentia paritatem cum nostra non habet, quia illi in suis punctis medietates nullas admittunt, ratione quarum fiat contactus una medietate, quin fiat contactus alia medietate.

Quamquam etiam dici posset, quòd illæ medietates se tangant partibus intransitive, quia sunt partes totius minimi, sed non partibus transitive, hoc est aliis divisibilibus in se inclusis.

Rursus circa contactum partium ipsius medietatis minimi, si dentur, hoc dici posset, quòd illæ se tangant se totis, non tamen se penetrant. Ratio. Quia ad hoc ut aliqua dicantur se penetrare, præter intretitatem debent semper vel actu, vel potentia habere rationem duorum. Sic v.g. duo Angeli dicuntur se ipsos penetrare, Corpus item Christi

† bb 3

penetra-

penetravit lapidem sepulchri, interveniebat. que tunc ratio actualis duorum. Angelus autem non dicitur penetrare seipsum, nec anima rationalis existens in capite, dicitur esse penetrata cum se ipsa existente in pede, quia nec Angelus, nec anima respectu sui rationem duorum habere possunt, cum ergo partes medietatis minimi, si dantur, rationem duorum divisibilium habere non possint, quia visio illis ulterius convenire non potest, aut vel actu, vel potentiâ, daretur minus quantitativum quantitatis minimo, ideo nec se penetrat. Et hoc principium supponit, quod in illa medietate minimi, residua manent partes. Ut autem Natura illius medietatis Minimi intelligatur. *Sit.*

Punctum Difficultatis 2.

Supponuntur Quædam.

SUPPONO primò. Quod quando non jam divinitus sit divisio minimi quantitatis, connaturaliter loquendo, petit materia non ita conservari, sed si debet conservari, petit reponi in statu emanandæ actualiter quantitatis. Ratio. Quia omnis essentia, petit poni non nisi in statu, in quo saltem emanet suas ex se proprietates, & sic (supposito quod potentia animæ distinguantur realiter ab anima) anima non possit emanare ex se potentiam intellectivam, & volitivam, ob violentiam quam patitur, petit non ita conservari.

SUPPONO secundò. Posito quod velit tamen ita Deus illam materiam conservare, posset dicere quis, nullas illam medietatem minimi habere partes, nec tamen tunc deveniendum in divisione continui ad indivisibilia. Quia quando horret communis Philosophia asserere, quod in divisione continui deveniatur ad indivisibilia, horret indivisibilia quæ contineant & componant quantitatem, sed non indivisibilia secutura quantitate ablatâ, cum etiam agnoscat divisibilitatem non nisi ex suppositione quantitatis, materiæ competere, de quo supra actum.

Hinc hæc Propositio! Devenitur tunc ad indivisibilia distinguitur: ablatâ quantitate Nego. Vel si mavis dic, devenitur ad Indivisibilia tanquam ultimo contentiva quantitatis, vel primò ejus principiativa Nego. Devenitur ad Indivisibilia hoc est ad dividuum, ultimo. Concedo. Unde illæ duæ medietates, ablatâ quantitate sunt formaliter indivisibiles, divisibiles potentiâ, quod non competit punctis, divisibilitate illorum potentiâ in hoc stante, quia si jungantur emanabunt ex se quantitatem, quæ illis in illo minimo adferat divisibilitatem. Et sicut licet mate-

ria ante quantitatem non sit extensa, ubi emanarit quantitatem, redditur extensa: ita illa medietates minimi conjuncta alteri medietati, ubi illud minimū emanarit quantitatem, acquirit divisibilitatem non in se, sed in illo toto minimo. Porro non tam medietas minimi componit quantitatem, quam potius ipsum minimum, compositivum enim quantitatis, est ipsum quantum, ipsum autem Minimum, in se est quantum. Unde illi medietati rigore, potius, competit esse in eo, quod componit quantitatem, quam componere illam.

ADDO. Quæ hinc dicta sunt, de ipso quanto, idem dici debet de quantitate, à materia separata, quod in illa sit minimum divisibile, sed illâ divisibilitate, positâ, jam non erit quantitas, nec extensio, nec extreitas: cumque impossibile sit manere rem sine sua essentia, si essentia illius auferretur, etiam illa res auferri debet, ita ut oppositum ne divinitus quidem fieri possit; sic etiam positâ divisione, jam non manebit illud accidens extensum, adeoque nec quantitatis accidens, cumque essentia quantitatis sit, descripta aliâs extreitas seu extensio, hinc quando non manet jam extreitas & extensio, nec manet quantitas, ita ut oppositum ne divinitus quidem fieri possit: Consequenter in his principiis non devenietur unquam ad indivisibilia ante quantitate, adeoque ad componentia quantitatem indivisibilia secus in sententia Zenonis. Unde

INFERS. Aliter se habere minimum materiæ aptæ emanare quantitatem, & aliter minimum quantitatis, quia scilicet positâ divisione minimi materiæ, non est indispensabile, ut conserve Deum medietate Minimi, quamvis sine proprietate debita, salvabitur; primò essentialis conceptus materiæ in medietate minimi materiæ, nempe ratio subiecti primi; quia autem salvabitur ratio extensibilis & extreitasibilis in medietate minimi, ideo indispensabiliter petit post divisionem utraq; pars non esse, quia aliâs in quantitate stante quantitate deveniretur ad indivisibilia quod repugnat, vel ad semper dividuum, quod impugnatum est.

INFERS item, quod longè aliter se habeat Quantitas, quam alia accidentia, secundum se spectata, quia alia accidentia non indigent alio ad sui esse, secus quantitas, idque ex eo quia quantitas non potest salvari sine extreitate. Et quia nihil respectu sui extreitatem habet, sed ex appositione alterius, ideo si hæc appositio non fit, jam non erit extreitas, adeoque nec quantitas, & quia hæc extreitas non est, ablatâ medietate minimi, ideo nec est quantitas illâ ablatâ.

INFERS denique differentiam hujus sententia

tentiæ à sententia Zenonis, secundum hanc responsionem, non admittendum partes in medietate minimi; quia scilicet ultimum, ad quod devenitur in resolutione Continui, est minimum divisibile, hocq; est quod componit quantitatem, separationeq; positâ, indispensabiliter annihilantur illæ duæ partes, quia illarum essentia, est cum extremitate esse, quam tunc non possunt habere. Et sicut si pars albedinis non posset esse albedo, annihilari exigeret, ita illæ partes annihilari exigunt, cum essentialiter ordinatæ sint, ad actum extremitandum, consequenter hinc deveniretur ad minimum divisibile, in sententia Zenonis ad indivisibilia. Deinde in sententia Zenonis compositiva sunt indivisibilia, in hac sententia composita sunt Minima, adeoque in sententia Zenonis primò inchoativum Quantitatis est Indivisibile, ultimò item contentivum. In hac autem sententia, primò inchoativum & ultimò contentivum Quantitatis, est illud primò dividuum, & ultimò dividuum, hoc est Minimum Respicunt hæc illud principium. Impossibile est manere hoc, & non esse hoc, quod est, aliàs esset sine se, consequenter impossibile erit manere medietatem minimi extensionis, non esset enim sibi ratio formalis extensionis, & tamen quantitas ex essentia sua, est ratio formalis extensionis. Sed de medietate Minimi ut tentetur alia via discurrendi. Hinc

SUPPONO tertio. Ut clariùs constitutur differentia illius Medietatis Minimi ab indivisibili materiali, adeoque etiam habentem rationem molis, possent poni plures partes, quamvis à se non divisibiles, & ita se habentes, ac se haberet materia omni spoliata quantitate & redacta in punctum, cuius una pars, non potest ab alia dividi & separari, & sicut si illa Materia per impossibile non esset capax quantitatis, nullo modo dividi posset, datæque unâ parte daretur tota, ita cum illa medietas non sit capax, se solâ quantitatis & divisibilitatis, nunquam poterit dividi, partitionemq; admittere: de qua pluralitate partium ita discurre potest.

IMPRIMIS dici posset ponendam esse pluralitatem partium, vel enim plures illæ partes sunt indentificatæ vel non indentificatæ? Si indentificatæ? Ergò non plures. Si non indentificatæ? Ergò plures.

DICI deinde posset, quamvis videat Deus pluralitatem illarum partium, de distinctione tamen discurrendo, posset asseri, illas non esse realiter actualiter, sed realiter potentialiter distinctas. Idque ideo quia debet esse minor distinctio rerum, quæ non ratione connotati alicujus extrinseci, negant separabilitatem realem, sed defectu orto ex ca-

rentia perfectionis sibi debitæ, & quia est minor distinctio potentialis quàm actualis, illa poni ideo posset; & sicut defectus separabilitatis absolutus, fundat negationem distinctionis realis, ita defectus ortus ex carentia perfectionis & ineptitudine ad separari, orta non ab extrinseci connotato, sed ut dixi ex carentia perfectionis sibi debitæ, & à se emanabilis, fundare debet distinctionem Minorem adeoque Potentialem. Dicuntur autem illæ partes potentiâ distingui, non quòd actu sint aliquando distinguendæ, sed quòd habeant vim & potentiam mole suâ excludendi à se indivisibile Mathematicum. Nominem autem ipsius penetrationis, ex jam dictis supra, non intelligitur rigorosa penetratio, quæ est intreitas eorum, quæ habent potentiam ut actu dividi & separari possint, sed intelligitur sola occupatio ejusdem spatii, competens moli condistinctæ ab indivisibili Mathematico, non tamen habenti, tantum quantum requiritur, ut illud evadat primò quantum, hoc est ut evadat minimum quantitatis, frequentius tamen appellamus hoc penetrationem, quia nomine illius vulgò sumitur in eodem loco existentia, cum tamen deberet dici non nisi, partium non extremitabilium in eodem loco positio.

SUPPONO quartò. Sive inter illas partes sic distinctio realis actualis sive potentialis, non tamen videt Deus divisibiles illas esse, quia non potest difformiter objecto videre, illud autem objectum, ut dixi, non est divisibile. Rursus cum ita sint illæ plures partes, ut sint penetratæ, non potest, Deus designare hanc, quin designet omnes, in se penetratas. Quanquam de partibus his discurre, jam non spectat tunc, ad materiam de quantitate, sed & ad hanc quòd materia de se adferat, partes entitativas.

SUPPONO quintò. Non esse dicendum quòd in distinctione partium entitativarum materiæ, reperibilis in medietate minimi quantitatis, sit procedere in infinitum. Ratio. Tum quia non minùs esset distinctionum in illa minimi medietate, quam in tota possibili materia de quo argumento supra egimus. Tum quia de divisibilitate vel acceptibilitate partium, nunquam agunt Philosophi, nisi per ordinem ad quantitatem, hancque in infinitum acceptibilitatem erundem, non dicunt convenire materiæ, sed quantitate, quæ quia non continetur in medietate Minimi, nec illi etiam ex principiis oppositorum adferre debet distinctionem partium in infinitum. Tum quia quamvis concedatur, quòd non sit procedere in infinitum in distinctione partium entitativarum, non sequitur materiam componi ex indivisibilibus, seu indistinguishibilibus partium entitativarum, nam quam

vis tanti plures Mercurii non possint fieri ex hoc ligno, non sequitur lignum componi ex tantis Mercuriis, sed suâ entitate stare, ita vel ita magna, penetrata tamen; & nisi accedat pluralitas entitatis, non erit divisibilis, quia nec quantificanda.

COLLIGES hanc responsionis partem admittere in illa medietate Minimi partes ut evitet puncta Zenonistica, non admittere autem separabilitatem, partibilitatem adeoque assignabilitatem partium, ut evitet divisibilitatem in infinitum, cum utrumque hoc argumentis evincatur: medium ergo erit dicere, quod dentur in illa medietate partes potentia plures, sed non divisibiles, assignabiles, &c. Etsi occupante Angelo locum divisibilem non possunt in Angelo divisibiles partes poni; ita habente medietate illâ partes, poterit poni pluralitas, sed non divisibilitas nec assignabilitas: & quidem loquendo de partibus medietatis minimi materiae, de illa dici potest quod habeat partes, sed non potentes se solis emanare quantitatem, loquendo autem de medietate Minimi ipsius quantitatis, habet illa partes in quibus solis non fit vis extendendi aliud, nisi ex accessu similium partium, & nisi illæ accedant, indispensabile est ex dictis ut maneat in rerum natura Quantitas actualis. Sed de distinctione hujus sententiae a Zenonistica, etiam infra.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur solutio Objectionum.

OBJICITUR tertio. In hac sententia non esse explicabile quis effectus formalis tribuatur illi minimo physico.

RESPONDETUR. Tribui illi extensionem partium Minimi in ordine ad se, tanquam effectum formalem primum, & extensionem in ordine ad locum tanquam effectum secundarium, ita ut vi quantitatis, quæ esse illud minimum occupet minimum loci divisibilis.

OBJICITUR quarto. In hac sententia non posse explicari quid fieri possit rarefactio.

RESPONDETUR, in multorum principiis posset fieri rarefactio per intromissionem corpuseulorum minimis illis unitorum, vel per superadditionem qualitatis, cujus sit effectus formalis major occupatio loci quam posset occupare à sola quantitate sibi connaturali, & quâ ratione in quacunque sententia salvatur negatio bilocationis, eodem modo in præsentia salvari debet: nec jam posita extensione majori in ordine ad locum, quæ provenit à raritate, sequetur divisibilitas plusquam in duas medietates minimi, quia ad divisibilitatem non sufficit sola extensio major, sed conditio

entitatis, & sicut Angelus occupans sphaeram divisibilem dividi non potest, ob negationem absolute partium, ita nec dividi poterit illud minimum, plusquam in duo dimidia, ob defectum sufficientium ad dividi.

OBJICITUR quinto. Ponamus poni à Deo lineam rectam, quæ desinat in medietatem minimi Physici, ponamus rursus minimum physicum, demittat DEUS in medium illius minimi, lineam dictam, quo casu illa linea assignabit sibi partes medietatis utriusque & non unam aliquam medietatem. Ergo assignatio illa fundabit divisibilitatem partium uniuscujusque medietatis.

RESPONDETUR. Ex hac suppositione sequi duo contradictoria nempe & applicari per medium minimo quantitativo illam lineam desinentem in medietatem minimi & non applicari per medium. applicari quidem ut supponitur; Non applicari autem, quia ex dictis hactenus, in illis medietatibus non dantur alia dimidia, quid ergo illi lineæ respondebit? Nihil proportionatum: Nihil enim medio minimi in medietatibus minimi ab utrinque sumptis proportionatum respondere potest. Et sicut nihil proportionale respondet, si supra tabulam constantem partibus in infinitum divisibilibus, ponatur indivisibile Mathematicum, vel si colloct se Angelus supra planum redactus ad punctum loci, ita & in præsentia idem dicendum.

OBJICITUR sexto. Etiam si detur minimum Physicum, tamen conceditur posse dari medietas minimi, quæ debet esse minus quid minimo. Ergo cum minimum Physicum habeat aliquid minus se, etiam medietas minimi habebit aliquid minus se.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia si ponatur dari minimum divisibile, sed non ulterius, ultra medietatem, non dabitur processus in infinitum in divisione continui, qui processus supra impugnatus est; Si autem daretur adhuc ipsius Medietatis medietas, & sic ulterius, daretur processus in infinitum in divisibilitate, quod supra impugnatum.

Rursus ut dictum supra, duplici viâ discutitur de ista medietate minimi. In primis quod illa medietas non habeat partes, & secundum hoc principium dici potest: Disparitatem esse. Quia cum illud minimum habeat partes, bene in illas dividi potest. Quia autem medietas minimi, partes jam non habeat (ex positione istius responsionis quæ non impugnatur) ideo illa medietas, in minus jam, dividi non potest. Deinde de eadem medietatem minimi ita discutitur, ut ponatur, haberi quidem illic partes sed non quantabiles, non divisibiles se solis. Hinc cum minimum constet quantabili, dabitur in Minimo Physico medietas, non

non dabitur autem in medietate minimi, tanquam non quantabili, adeoque nec divisibili; nec separabili ut dictum supra.

INSTABIS. Quia non tantum ulna, sed etiam semiulna, non est quid indivisibile physice, nec est punctum, ideo datur ulnae non tantum medium, sed etiam datur medii ulnae, aliud medium. Ergo etiam quia medietas illa minimi Physici non est quid indivisibile physice, nec est punctum, non tantum dabitur medietas minimi physici, sed etiam medietas, medietatis minimi physici, alias si illa medietas nullas omnino habet partes, co- incidit cum puncto, atque ita ex duabus omnino indivisibilibus medietatibus, seu ex duobus punctis: componetur minimum Physicum.

RESPONDETUR. Hoc argumentum petere non illam partem praetentatae responsionis, in qua diximus in medietate minimi posse poni partes licet seipsis non quantabiles, non divisibiles: hinc si placeat arguenti potest tenere hanc responsionem. Red nec expugnata aliam praetentatam responsionem, quod scilicet in medietate minimi nullae dentur partes. Argumento ut ponitur. Negatur Antecedens, nego enim non deveniendum in divisione ulnae ad aliquod minimum quod jam dividere non possit salva quantitate, cuius oppositum supponit arguens in suo Antecedente; Hinc illud aut negari debet aut distinguere sic: quia non tantum ulna, sed etiam semiulna non est punctum, ideo datur non tantum ulnae medium, sed etiam medii ulnae medium, ita ut sit semper procedere ad tales medietates Nego Antecedens. Ita aut non sit procedere Concedo Antecedens & Nego Consequentiam. Quare autem licet dentur in minimo medietates, non dentur in medietatibus medietates & ex argumento supra posito & ex dictis immediate ad objectionem colligitur. Nec inde sequetur componi quantitatem ex duobus indivisibilibus, sed componitur in nostris principiis ex minimo eoque divisibili, habenteque illas duas partes, & quidem ejus naturae, ut sit impossibile manere unam in rerum natura sine altera, ut potest sine qua divisibilitatem extremitatemque adferre non potest, cum tamen de essentia quantitatis sit esse extremitativam. Hinc in divisione continui non devenitur salva quantitate, nisi ad minimum divisibile tanquam compositivum continui, cum tamen in sententia Zenonis deveniatur non nisi ab indivisibile. Quae ipsa obiectio multo minus urget, si ponatur quod in medietate minimi sint partes, sed non assignabiles, non divisibiles, sicut nec sunt assignabiles, nec divisibiles in materia habente partes, si spoliatur omni quantitate, & quae sint hoc solo partes, quia mole sua entitativa, nata sunt excludere indivisibile Mathematicum. Unde rigorose

loquendo in his principiis non deveniatur ad duo indivisibilia, haec enim supponunt communiter pro punctis, sed ad unum divisibile non ulterius dividuum. Vide superius dicta Puncto Difficultatis secundo, Supposito secundo.

OBJICITUR septimo. Haec sententia gravissimas difficultates tam in sententia Zenonis, quam in sententia Aristotelis non evadit.

RESPONDETUR. In sententia Aristotelis maxima est Difficultas, divisibilitas in infinitum, contra quam processit argumentum supra a nobis factum, cum tamen in divisione continui per nos deveniatur ad minimum, non ultra salva quantitate divisibile. In sententia autem Zenonis difficillimum est argumentum Aristotelis quomodo se puncta illa tangant. In principiis autem nostris unum minimum Physicum, tangit aliud, sui medietate: Hinc haec graviora, & alia similia argumenta, non petunt nos.

INSTABIS. Aristoteles definit Quantum, quod sit in ea quae insunt divisibile.

RESPONDETUR. Sicut definitur homo definitione physica, quod constet seu componatur ex corpore & anima, nihilominus possit separatione, jam non constat Homo anima & corpore, sed constat salvo esse hominis; ita Quantum, est in ea quae insunt divisibile, sed eoque; quousque manet Quantum; Et ita v. g. manet divisibile in decem Minima, postea in novem, & quia unum minimum ultimum continet quantitatem, hinc illo ablato, non erit jam necesse ulterius manere divisibile.

Notantur quadam ad explicanda haecenus dicta.

Per nos materia spoliata omni quantitate redigeretur ad punctum indivisibile, accessu autem quantitatis extendi poterit. Nihilominus unipedalis materia, non est capax quantitatis centum pedalis, idque ex eo, quia spoliata omni quantitate materia, supponitur habere partes entitativas aptas ab extendi, jam autem unipedalis materia non habet partes entitativas, quae possit vi quantitatis fieri centum pedalis, alias antequam fieret centum pedalis, deberent supponi partes penetratae sub quantitate unipedali, aut replicatae in centum pedali aut rarefactae.

Quando item dicimus quod a Minimo Physico, non possint accipi unum indivisibile, loquimur de invisibili quod sit superadditum ipsi minimo in se consistenti, nam per nos, ut infra constabit, neque terminativa puncta dantur, nec continuativa.

Licet ponamus constare illud minimum duabus medietatibus de quibus una respondenda dicit: Quod illae medietates non habeant partes, casu quo ponatur linea tribus mini-

minimis constans fieretque divisio æqualis, quia nempe divisio caderet in Minimum quod est in medio duabus medietatibus constans, jam una in divisibilis medietas demeretur quidem ab alia, sed quia adjungeretur huic, vel illi minimo adhuc esset contentiva quantitatis. Nec tamen à minimo auferretur per nos indivisibile, quia negavimus à minimo Physico posse separari punctum aliquod, quod esset superadditum, haberetque se per modum terminativi aut continuativi.

CONCEDO tenere Nos, in una respondendi via, quod singulæ medietates minimi in se spectatæ sint indivisibiles, & singulæ in se non quantæ, sed ex accessu sui ad invicem quantantur & extreinfantur, & ex hoc jam se penetrare non poterunt; Nam licet partes, materiæ spoliatæ quantitate, se penetrarent; quia tamen illæ ipsæ medietates una sumptæ, sunt in quantitate ipsa quantitas, ideo in illo Minimo non se penetrant.

Quando ad objectionem secundam dicimus, quod partes medietatis minimi rationem duorum divisibilium habere non possint, non intelligendum est de partibus ipsiusmet minimi, nec dicimus duas medietates, non habere rationem duorum, sed id dicimus de partibus medietatis, si dentur.

Non est infuetum corpus ante animationem dicere animabile in potentia, & non tantum appellare animatum ipsum totum; Ita dici potest in potentia unam medietatem minimi esse divisibilem, licet non nisi ex accessu ut ita dicam alijs medietatis, reddatur divisibilis. Licet hæc locutio non in omni phrasi semper teneat. Ipsum autem Minimum debet dici potius actu divisibile, quam merè potentiâ divisibile.

Quando interdum dicimus medietatem minimi habere partes, non tamen partibilitatem illarum, interdum dicimus illas medietates non habere partes, hoc ita accipiendum est, quod scilicet hic duplex prætenditur via discurrendi de istis medietatibus, adeoque non est hæc doctrina collectivè sumenda, alioqui esset contradictoria, sed problematikon, & aut hæc, aut illa, tenenda est via.

In Via hæc quæ docet haberi in medietate minimi partes potentiâ, non tamen de signabiles, non sequitur ex eo, quod sint partes potentiâ, esse jam divisibiles. Nam quod Mercurius qui est potentia in ligno, per Aristotelem, posse designari, id ex eo est, quia illa potentia, habet in se & continet, aptaq; est de se continere & quantitatem & extreinfationem, quod non cõvenit secundum dicta, partibus illis medietatis minimi si dentur.

Est quidem Verum quod si agens, Minimum Physicum quantitatis diverferit, jam

amplius non sic futura in rerum natura quantitas illi minimo contenta; Sed negatur posse hoc viribus naturæ præstare aliquod agens, ut dictum supra Difficultate primâ. Si tamen etiam divinitus divideret agens ipsum minimum materiæ, dixi, posse adhuc materiam fervari, adeoque posse illam non annihilari, licet petat, non conservari in rerum natura, sine tali passione.

CONCEDO Essentiam quantitatis esse, habere extremitatem partium, quousque manet quantitas. Concedo quod quælibet pars continui, habeat essentiam quantitatis, sed eousq; quousq; habet rationem partis continui, sed rationem partis continui non habet nec habere potest, nisi quousq; durat ratio minimi quantitatis; & sicut licet quælibet pars aquæ habeat essentiam aquæ, nihilominus si separetur forma aquæ à materia aquæ, jam non manet essentia aquæ, si nec manet quantitas non manente minimo quantitatis, adeoque nec debet residua manere extreitas partium.

COLLIGES primò ex dictis Per Quid differat hæc sententia à sententia Zenonis. Nam imprimis ipsum Minimum Physicum, est divisibile, Puncta Zenonis indivisibilia sumendo unâ utramque Responsonis partem. Rursus in parte illa respondendi, quæ docet in medietatibus minimi, inesse partes licet non ulterius assignabiles, divisibiles &c. Hoc ipso ponitur distinctio à punctis Zenonisticis, quæ earent partibus. In modo autem illo respondendi qui negat illis medietatibus partes, adhuc hæc sententia distinguitur à sententia Zenonis. Tum quia non illæ medietates indivisibiles componunt quantitatem, sed illud minimum dividuum non ulterius divisibile, ut supra dictum. Tum quia in sententia Zenonis devenire est ad punctum quorum unum quodque separatim habet jus existendi, in nostra Sententia devenire est non nisi ad Minimum. Nam ulla illarum medietatum habet jus existendi, si separetur ab alia. Unde non devenitur in divisione continui ad illas medietates, sed non nisi ad minimum. Tum quia in sententia Zenonis punctum se ipso de quantitate participat, in principiis nostris de quantitate non participat nisi Minimum. In Principiis Zenonis primum punctum primò inchoat quantitatem, ultimum punctum ultimò continet. In nostris principiis quod primo inchoat quantitatem est Minimum, & quod continet, est itidem Minimum idque divisibile. Et quia res in id resolvitur, ex quo componitur, hinc in principiis Zenonis, resolvitur quantitas in punctum; Per nos autem non resolvitur in medietates Minimi sed in Minimum. Et sicut malè quis inferret componi continuum nihilo, quia sublato puncto ultimo in sententia Zenonis, vel omnibus partibus

tibus, in sententia Aristotelis, manet. ¹³ ita nec quisquam inferre potest, componi Quantitatem in nostris principiis per indivisibilia, eo quod ablato ultimo divisibili, nihil ulterius dividuum maneat.

COLLIGES. In nostris Principiis, instantaneis actionibus, durationibus, annihilationibus, motibus discretis, à Terminò à Quo, ad Terminum ad Quem sine medio, &c. nihil respondere proportionatum in ipso tempore, seu motu cœlorum.

DICES. Respondere aliquid proportionatum, est, quando existit tempus, vel aliquid temporis, idque vel divisibile, vel indivisibile. Sed quando v. gr. instantaneè producit gratia, existit tunc tempus, vel aliquid temporis, divisibile, vel indivisibile; Ergo quando v. gr. producit gratia, respondet aliquid proportionatum. Quod Argumentum est in Galeni.

RESPONDETUR. Argumentum hoc, non esse in Galeni figura. Ratio. Quia in Galeni figura, hoc quod erat prædicatum in prima propositione, ponitur pro prædicato in secunda Propositione, quod in præfenti non sit. Quod si dicas esse hoc in Galeni figura, sed non in prima, suppono huius oppositum demonstrari à Dialecticis, quòd scilicet, nulla sit figura Galeni, nisi prima, quæ teneat. Hoc etiam Argumentum, non est in secunda figura, quia nulla præcessit negativa. Non etiam est in tertia figura. Quia non servatur, Tertia bis subicit, consequenter nego, hoc argumentum esse in forma rigorosè collocationem terminorum spectando.

Cæterum si prædicatum primæ propositionis ponatur pro subiecto in eadem, erit argumentum in prima figura. Dixi rigorosè spectando collocationem terminorum, quia quando servatis iisdem terminis, & intento, quòd probari debet, vitium oritur ex sola materiali transpositione terminorum, debet Argumento categoricè responderi.

Hinc dico. Quòd tunc quando instantaneè, v. gr. causatur gratia, non existat commensurativè tempus, vel aliquid temporis; quia tempus & aliquid temporis definitivè involvit prius & posterius; quia autem in instantanea productione v. g. gratiæ, non est quidquam inclusivum prioris, & posterioris, ideo, nec existit tunc tempus, vel aliquid temporis, commensurativè; sed existit tunc tempus, hoc sensu: quia ab initio mundi usque nunc, non erat quies cœlorum, & interim producta est gratia. Non etiam existit tunc indivisibile temporis, quia indivisibilia, sive terminativa, sive continuativa, infra negantur.

In idem recidet si dicas conformiter, ad dicta superius quòd scilicet, Nunc Mathematico productionis gratiæ, non respondeat Nunc

Mathematicum temporis, quod solum esset proportionatum, sed existit tunc, Nunc Physicum, adeoque Nunc non proportionatum.

INSTABIS. Non responderet illi productioni aliquid divisibile. Ergò indivisibile. Hæc enim sunt contradictoria.

RESPONDETUR. Non esse hæc duo contradictoria, sed hæc erunt contradictoria. Non responderet divisibile, responderet divisibile, veraque erit negativa, affirmativa falsa. Sed ad verificandam illam negativam, sufficiet quamvis dicatur, non respondere aliquid proportionatum, negando quòd respondeat indivisibile. Addo ulterius; Non divisibile, esse Terminum non nisi negativum, adeoque contradictoriè oppositum divisibili. Sed hunc Terminum indivisibile, ex suppositione arguentis, esse Terminum positivum, importantem aliquam Entitatem realiter distinctam. Quod additum ad varia in hoc genere servire potest.

Quod si ita formes contradictoriam. Respondet indivisibile, non responderet indivisibile. Affirmativa erit falsa, vera negativa, sed illa verificabitur, quamvis dicatur nihil proportionatum respondere tunc. Et sicut ex hoc negativo termino: est non album, non est licitum inferre: ergo est nigrum; ita & ex hoc termino: non responderet divisibile, licitum non erit inferre. Ergo responderet indivisibile. Item ex hoc termino non responderet Indivisibile, licitum non erit inferre: ergo responderet divisibile. Quæ omnia in hoc fundantur, quia sicut datur Medium inter, Non album & Nigrum, ita datur Medium, inter Indivisibile & Divisibile, nempe Non proportionatum.

QUÆSTIO VI.

Explicatur quid sit continuatio?

DICENDUM Est primò. *Continuationem non fieri per puncta continuativa.*

PROBATUR I. Quia post puncta continuativa vel sequitur pars vel punctum? Si punctum Ergo tota quantitas componetur ex punctis; Si pars: Quæro estne illa continua vel non. Si continua. Ergo continuationem habet independentè à puncto. Ergo & tota quantitas poterit continuationem habere & non à puncto; Si autem pars illa non est continua, quid erit in continuo continuum. Et si illa pars non est continua. Ergo nec divisibilis, sola enim continua divisibilitatem propriam ut suppono habent. Unde etiam nō dicuntur propriè duo Angeli dividi, quando localiter à se separantur.

RESPONDEBIS continuum illam esse partem, sed continuatione habita vi illius puncti.

CON-

CONTRA. In quonam stat, ista habita beneficio puncti continuatio, non per positionem alius puncti continuativi, hoc enim non admittitur, sed dicitur sequi pars, restaretque quærere, quid sequatur post illud aliud punctum continuativum. Ergo per solam negationem terminorum, cur ergo & simpliciter continuatio, stare non poterit in dicta negatione terminorum, vel in eo, quod tu dicis communicari illi parti, vi puncti: Et sicut ex eo quia formaliter segregatio visus habetur ab albedine, non potest quidquam albedinis, esse segregativum visus, & tamen sine albedine, ita nec potest esse quidquam continuatum vi puncti continuativi, habendo in se continuationem, non habendo in se formaliter punctum, illud continuativum. Quod ulterius in hoc resolvitur. Quia effectus formales sunt ipsamet forma unita subjecto apto, punctum autem illi toti parti, utpotè divisibili, non est unitum.

PROBATUR secundò. Si darentur puncta continuativa partium divisibilium, deberent illas partes tangere puncta: Si illas partes tangerent, puncta tangerent se totis, si tangerent se totis, penetrarentur puncta cum partibus. Tunc quæro: puncta illa continuativa, vel penetrarent totum vel partem, vel indivisibile partis: Si indivisibile. Ergo ipsamet partes, esse indivisibilia concedis: nam post illud punctum actum à puncto continuativo, necessario propter paritatem rationis, debet sequi aliud punctum, de quo ipso puncto quæritur quid tangat, & sic ulterius, si autem punctum continuativum totum penetrat partem, Ergo bilocatur illud punctum, quomodo enim sine bilocatione, imò toties locatione, idem punctum, natum non nisi indivisibile loci, occupare, occupabit locum divisibilem, utpotè tangendo totum illud, quod habet locum divisibilem: Si autem punctum continuativum penetrat aliquid partis, adhuc plurilocabitur, quia cum sit indivisibile, erit illic, ubi est divisibile.

RESPONDEBIS. Tangi à puncto continuativo partem indeterminatam.

CONTRA erit. Illa pars indeterminata vel est divisibilis vel indivisibilis, quomodo ei co-existere poterit punctum, tangendo divisibile illud: Si indivisibilis, Ergo præter puncta continuativa, admittis in compositione continui alia puncta, tenebisque sententiam Zenonis.

PROBATUR tertio. Tum quia, si darentur puncta continuativa, illa vel essent finita vel infinita actu, vel infinita potentia, non erunt infinita potentia, quia omnia sunt actu, aliàs si non omnia sunt actu, non omnia essent continuativa actu, adeoque in continuo essent aliqua nonnulla potentia continua. Non etiam sunt finita illa puncta, quia aliàs etiam

partes proportionales, quibus continuandis illa apponuntur, non essent infinitæ. Non etiam illa puncta sunt infinita actu, sequeretur enim eandem Lineam posse esse simul infinitam & finitam, seu clausam duobus terminis, quod ipsum probatur: Supponamus poni columnam rotundam, supponamus incipiendo à primo puncto continuativo columnæ, duci spiralem per omnia puncta continuativa intercepta inter partes proportionales columnæ usque deorsum: illa Linea & esset infinita, quia & puncta per quæ ducitur per te sunt infinita, & non esset infinita, quia clauderetur duobus terminis. Tum quia, si darentur puncta continuativa, illa vel darentur inter partes æquales uni certæ, vel inter partes proportionales, non inter priores tantum: Quia non est major ratio de his, quam de illis partibus, cumque partes proportionales identificentur æqualibus uni certæ, si inter priores intervenit continuatio, interveniet etiam inter posteriores. Quod si dantur puncta continuativa, etiam inter partes proportionales idque omnes, & intervenirent illa puncta inter omnes partes proportionales, & non inter omnes; inter omnes quidem, quia non est major ratio de una parte quam de alia, & non inter omnes, quia nunquam dantur omnes partes proportionales, de essentia enim illarum est, non tot esse, quin plures. Et certè vel sub omni imaginabili puncto Loci, est continuativum illud punctum, vel non sub omni: Si non sub omni. Ergo non ubique est continuatio, adeoque non ubique continuum: Si sub omni, Ergo quantitas tota erit non nisi more puncti. Tum quia, si dantur puncta continuativa vel est sub illis sanguis Christi in calice vel non est? si est, Ergo cum de novo fit nova continuatio unius partis specierum, cum alia parte specierum, ponetur illic sanguis sine consecratione; Si autem sub punctis continuativis non est sanguis Christi, sequitur quod mutatis superficiebus per agitationem, confundantur superficies consecrata cum non consecratis, quod de se videtur inconveniens. Tum quia, si darentur puncta continuativa, sequeretur idem posse esse frigidum ut 8. & calidum ut 8. demus enim unam partem ferri frigeri ut 8. & aliam caleferi ut 8. cum non sit major ratio cur frigidum quam calidum agat, certè punctum inter illa utraque interceptum erit frigidum ut 8. & calidum ut 8. Tum quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, punctum autem continuativum est ens sine necessitate.

DICENDUM secundò est. *Continuationem non esse modum superadditum.*

PROBATUR CONCLUSIO. Sufficenter à non esse continui ad esse continui, transitur potest per solam negationem terminorum, tunc

tunc autem concedendi sunt modi, quando nihil ostendi potest, quod sit sufficiens mutatio ad transitum ab uno contradictorio ad aliud. Sed unde fit ut cum materia & forma uniri non possint sine modo, uniri tamen possint sine modo partes continui? ad quod dici potest, quod nulla possit talis negatio ostendi, quæ sufficenter talem transitum salvet, quæ enim illa? jam autem ipsa negatio terminorum, est sufficiens, ad transeundum à non esse continui, ad esse continui. Dicerent alii, inter quæ est unio, non sine superaddito modo, illa necessario duo debent esse, unio enim non nisi duorum est, cum ergo partes in continuo non sint distinctæ, nec sint actu plures, ideo illas inter se uniri, non erit necesse.

DICENDUM tertio. *Continuationem in recto, esse ipsam rei quantitatem, pro formali autem dicit instantiam, cum negatione terminorum utriusque extremi.*

PROBATUR. Quia quæcunque non explicantur per formam aliquam superadditam realem vel modalem, illa explicari debent non nisi per connotata, ut inductio ostendit & tractatio de distinctionibus. Ergo cum continuatio non explicetur per aliquid reale superadditum, debet explicari per connotata, sed non per alia quam prædicta, quia nulla alia excogitari darique possunt. desit enim indistantia, adsint proprii termini, hoc ipso non erit continuatio, idque per locum intrinsecum, quid enim magis intrinsecum continuationi, quam illius extrema indistare & negare terminos.

Quæ in contra objici possunt, solvantur ex dictis in materia de connotatis.

QUÆRI solet: *An continuum sit ens per se.*

RESPONDENT non pauci. Unionem hanc neque esse per se, neque per accidens, rigorose loquendo non est per se, quia non est inter ea, quorum unum se habeat per modum actus, & aliud per modum potentiae; Neque etiam est unio per accidens, quia non est saltem semper inter extrema, quæ sunt accidens.

Potest tamen dici ens per se, quando scilicet continuum, est ex substantialibus extremis, uniri natis.

Hinc continuum non est compositum tale, quale fieret, ex duabus animabus inter se unitis, quia nunquam duæ animæ, natæ sunt inter se uniri. Concedo quidem actionem terminatam ad substantiam non esse substantialem, unio tamen inter extrema substantialia continuabilia, erit substantialis; quia actio, in sententia hæc objicientium, non identificatur ipsi substantiæ, propter rationes, quas modales adferunt, potest autem ex dictis, unio identificari continuo, in dictis circumstantiis, attendendoque ad id, quid sit substantia, primum est inferre actionem, quæ producit substantiam, non esse substantialem; Quia agens sive illa mutetur, sive non mutetur,

itemque terminus eodem se modo habebit, non autem eodem modo habebit se continuum, si continuatio identificata continuato, in dictis circumstantiis mutetur.

QUÆSTIO V.

Quid termini quantitatis, & de reliquis quantitatibus concernentibus.

Partiunda est Quæstio.

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum?

DICENDUM est primo. *Terminos quantitatis non esse puncta terminativa distincta realiter.*

PROBATUR primo. Quia Aristoteles 1. Metaphys. text. 43. universaliter docet magnitudinem non constare ex superficiebus, lineis, & punctis. Et 3. Metaphys. text. 13. Negat superficies esse in corpore solido & Lib. 4. de motu animalium, nullam, inquit, punctorum esse substantiam.

PROBATUR secundo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sufficienter autem intelligitur terminata quantitas, si dicat negationem ulterioris extensionis.

PROBATUR tertio. Si termini quantitatis sint puncta, tota superficies quæ est terminus quantitatis, constabit ex punctis, & de hac superficie redibunt argumenta Aristotelica, contra puncta quomodo se turgent. Rursus demus annihilari illa puncta, sunt enim ut suppono superaddita, secunda superficies quæ sequitur estne ex punctis, an non? si est ex punctis. Ergo & totum illud quantum, est ex punctis, semper enim reperiuntur, aliæ & aliæ superficies, in illo toto quanto; Si autem non est ex punctis. Ergo neque prior illa superficies est ex punctis. Tum quia ponamus illa puncta non produci, quæro sine illis punctis, dicite quantitas negationem ulterioris extensionis, vel non? Si non dicit. Ergo erit infinita, non enim habebit determinatam & limitatam extensionem: Si dicet, Ergo otiosa sunt puncta superaddita. Tum quia si darentur indivisibilia terminativa, non possent rationabiliter determinare, an sub illis indivisibilibus terminativis in Eucharistia detur Corpus Christi vel non? Si datur, ut vult Suar. Ergo sequitur poni de novo Corpus Christi, si ne ulla consecratione vel transubstantiatione: nam quando frangitur hostia, de novo acquiruntur puncta terminativa, Ergo illic ponetur Corpus Christi, & tamen nulla erit nova consecratio, & nulla transubstantiatio, nam frangitur post consecrationem, postquam nulla jam fuit substantia panis. Quod si sub indivisibilibus terminativis non est corpus Christi, ut voluit Vasq. Contra erit. Quia sub omni eo specierum, est Corpus Christi, sub quo fuit

† cc

sub

substantia Panis, ut communis fidelium sensus probat: sub indivisibilibus autem illis, fuit substantia panis. Et si per Vasq. Angelus implens sphaeram locabilitatis, est etiam in indivisibilibus terminativis spatii, aliàs praesentia illius esset interrupta, cur non & Christus erit etiam sub indivisibilibus hostiae.

DICENDUM est secundò. *Terminos quantitatis explicari debere per connotata*, scilicet quòd quantum, in quantum concipitur habere longitudinem, praescindendo à latitudine & profunditate, vocetur Linea. Idem, in quantum concipitur habere etiam latitudinem, vocatur superficies, & idem quantum dum concipitur per modum indivisibilis, vocatur punctum.

Ut autem hoc ipsum concipere possit intellectus habet fundamentum. Cum enim longitudo non sit determinata ad latitudinem, & profunditatem, tantum potest longitudinem concipere sine latitudine & profunditate, & tunc quantum habet rationem lineae. Item quantum habens jam longitudinem & latitudinem, cum non sit determinatum ad habendum tantum profunditatem, concepta quantitas longa & lata sine profunditate, erit superficies. Denique cum quantum neque latitudinem, neque longitudinem, neque profunditatem determinatas, exigat, quantum sine his omnibus conceptum, dicet rationem puncti. Quando autem dico non esse quantum determinatum ad certam magnitudinem, loquor de terminatione sub sensum cadente, & in linea excedentiā; nam in nostris principiis de veneri tandem est ad minimum in linea deficientiā, quo diviso, ulterius non consistat quantitas.

RESPONDET rationibus hinc tactis Maurus qu. 41. Quod ablatis indivisibilibus & maneret palmus terminatus, maneret enim palmus de cuius ratione est esse terminatum, & remaneret interminatus, quia careret termino, de cuius ratione est indivisibilitas, maneretq; terminatus fundamentaliter non formaliter.

CONTRA. Non repugnat nullo superaddito distincto termino, manere palmum dicentem negationem ulterioris extensionis ultra se, quod solum sufficit, si ponatur ad rationem termini; unde nego de ratione termini, esse indivisibilitatem. Quæro ulterius, in quo stet, quòd tantum fundamentaliter dicatur ille palmus terminatus: si enim dicatur, idèò fundamentaliter tantum terminatur, quia dicit negationem ulterioris extensionis, quærere restat: cur hoc ipsum, quod tu dicis fundamentaliter terminatum, non sit sufficiens ad salvandam rationem formaliter terminati, ut quid ergò superaddenda alia entitas? rediretq; argumentum quod in simili urgebatur de relatione superaddita. Addi etiam aliquid potest ex concessis à Mauro, quòd indivisibile additum divisibili, non facit majus, quomodo ergò indivisibile multiplicatum pot-

est facere tam magnam superficiem, in qua indubiè est majus & minus. Reliquas rationes, vide in notatis infra.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR primò. Posito, quòd termini stent in negatione solius talis vel talis extensionis, termini quantitatis erunt quid negativum, quòd videtur esse contra communem apprehensionem.

RESPONDETUR. Sufficit ut ratione Recti, termini quantitatis, sint quid positivum.

OBJICITUR secundò. Superficies datur nemine cogitante, si autem distingueretur per formalitatem connotativam, non daretur nemine cogitante.

RESPONDETUR. Animalitas Petri à rationalitate Petri distinguuntur, ratione connotatorum, & tamen nemine cogitante Petrus est animal.

INSTABIS. Ex vi responsionis sequitur, quòd nec per formalitatem connotativam distingui possit terminus, superficies, linea, idq; idèò quia nullum datur fundamentum concipiendi hanc distinctionem, cum non detur extensum, quòd neque sit longum, neque profundum.

RESPONDETUR. Sicut non datur animal quòd neque sit rationale neque irrationale, & tamen habet intellectus fundamentum concipiendi animal, ut sic, ita & in praesenti, neque tamen tunc concipietur eas rationis, secundum ea quæ aliàs dicta sunt de præcisionibus objectivis.

OBJICITUR tertio. Loquuntur Mathematici de lineis, superficiebus, punctis quasi dentur.

RESPONDETUR. Loquuntur quidam de illis quasi dentur, sed non tanquam de distinctis realiter, neque enim illorum est distinctiones examinare, solas enim sectantur imaginationes.

OBJICITUR quarto, quidam ex Mauro. Saltem in tempore non potest negari, quòd detur instans seu Nunc indivisibile: quia non daretur ullum praesens condistinctum à praeterito & futuro. Unde ulterius tempus ipsum non existeret. Probat secundam Sequelam. Quia illud compositum non existit, de cuius nulla parte verum est dicere quòd existat, sed si non daretur instans, de nulla parte temporis verum esset dicere quòd existat, non enim de praeterita, hæc enim praeteriit, non de futura, quia nondum est. Praesens etiam non est distinctum per se à partibus praeteritis & futuris, ergò tempus non existit.

RESPONDETUR. Id verum esse de tempore, quòd est anima seu Mathematicè sumpto, non de tempore physicè sumpto, ut dictum supra. Rursus cum instans post instans non detur, & cum ex instantibus non possit componi per arguentem

guentem tempus, si ipsæ partes successivæ temporis quæ sunt tempus non existunt unquam, parum refert ut dicatur existere tempus, quod existat instans, quod nec est tempus nec potest illud per se componere, sed tantum intercipitur in illo. In nostris principiis in tempore physice sumpto, existunt simul plura minima, quæ sunt ratione velocitatis motus cælorum, qui ipse motus, est tempus, licet hæc velocitas, sit resolvibilis in minimum motus jam præexplicatum.

INSTAT idem. Implicat incipere aliquid sine primo, desinere sine ultimo, sed nisi daretur instans initiativum & terminativum, daretur incipere sine primo, desinere sine ultimo, quia inciperet in parte in infinitum divisibili, in qua non est primum & ultimum. Ergo in duratione dantur instantia.

RESPONDETUR. Potest aliquid incipere sine primo, desinere ultimo, si ipsum sit definitivè prius & posterius. Tale autem est tempus, hocq; ipso quia tempus est definitivè prius & posterius, cum primum non sit prius & posterius, & cum ultimum non sit posterius, & prius, ideo primum tantum & ultimum tantum, non possunt componere prius & posterius, adeoq; nec possunt componere tempus. Deinde posset hoc salvari, negatis instantibus & admissis minimis physicis. Sed admissis etiam indivisibilibus, non fit satis difficultati, quia quod definitivè est divisibile, non apparet qui incipiat per indivisibile, sicut existentia albi, non incipit per esse nigri. Quod autem adfertur de creatione Angelis, production gratiæ jam est supra solutum.

OBJICIT quinto Idem Auctoritates.

PRIMA est August. II. Confess. cap. 15. Præsens nullum habet spatium.

SECUNDA Auctoritas Arist: qui non raro habet idem.

RESPONDETUR. Utrumq; loqui de nunc Mathematico: vel quod Præsens, nullum habeat spatium, quod divisum, adhuc sit spatium, si scilicet sit minimum spatii.

TERTIA auctoritas est Mathematicorum, apud quos nihil frequentius quam superficies, linea, punctum, & si hæc sunt impossibilia, Mathematica habet pro objecto chimæras, nec esset Mathematica Scientia realis, consideraret enim secundas intentiones, sicut Logica.

RESPONDETUR. Quod Mathematica sit scientia, non abstrahens ab imaginabili, consequenter non erit necesse hæc dari nisi imaginabilia, & ex suppositione, per quas semper Mathematica procedit, erit tamen scientia realis, quia non attendit ad ipsas imaginationes adeoq; intentiones ut Logica; sed objecta illarum, quæ possunt non esse realia. Sicut Metaphysica attendendo ad Universale, non attendendo autem ad intentiones, sed ad objectum, est Scientia realis; licet ipsum Universale, non sit quid reale ponibile in se à parte rei.

INSTAT idem. Duo plana tangunt se in sola superficie extrema; non verò in profunditate, alioquin penetrarent se secundum profunditatem. Atqui tam quod tangit, ab eo quod non tangit, tam id quod tangitur, ab eo quod non tangitur, distingui realiter necesse est. Idemq; ostenditur in cylindro, sphaera &c. tangentibus planum.

RESPONDETUR. Per nos nec ipsæ superficies se penetrant, & si se penetrarent etiam profunditates se penetrarent; sed quidquid sit de hoc, concedo quod duo plana secundum superficies solas se tangant, id est sint sibi immediata. Concedo quod tangens ab eo quod non tangit sit distinctum realiter, ut antea dictum quoad entitatem, sed nego quod sit distinctum quoad esse formaliter superficiei præcisè. Idem dicendum est de illuminatione superficiei, cum non illuminetur profunditas.

Recentiorum Argumenta pro distinctione indivisibilium entitativorum & terminativorum.

OBJICIT primo Maurus Quest. 41. Ita expressè docet Aristoteles, quod in magnitudine dentur puncta, lineæ ac superficies indivisibiles, in tempore instantia partibus carentia, ut mirum sit, dubitari de mente Aristotelis.

RESPONDETUR. Aliud est querere, an posuerit Aristoteles lineas & superficies indivisibiles in magnitudine, aliud an distinctas; prior propositio est vera, posterior falsa, ipsa enim quantitas divisibilis, in quantum concipitur extensio, vel gerit vicem extensi in latum, & in longum, non in profundum, erit superficies, sed nego quod superaddita sit, sicut ipsa entitas Petri, in quantum est principium actuum sensandi est animalitas, neq; tamen est necesse animalitatem esse superadditam.

INSTAT idem ex Auctoritatibus.

PRIMA est. Ex 6. Physic. ubi postquam Text. 1. ad 24. demonstrasset continuum non constare ex indivisibilibus, concludit: *Manifestum ergo est quod nullum continuorum est impartibile*, ac subjungit immediatè, *Necesse est autem ipsum Nunc, quod non per alterum, sed per se & primo dicitur, indivisibile esse, & in omni tempore tale in esse.*

RESPONDETUR. Concedo quod Nunc sit indivisibile, concedo quod quoad officium & æquivalentiam istud Nunc, in sit tempori, sed Nego inesse tanquam aliquid superadditum. Vel loquitur Aristoteles de tempore prout est in anima, & in illo ponit Nunc, non autem de tempore physice sumpto, ut dictum supra.

SECUNDA AUCTORITAS. Quia ibidem tex. 29. concludit: *Quod igitur sit aliquid in tempore indivisibile, quod dicimus esse ipsum Nunc, manifestum est ex iis quæ dicta sunt.*

RESPONDETUR. Etiam hinc Aristotelem, non loqui de Nunc superaddito realiter, vel

loquitur de tempore secundum quod est in anima, in quo indubie datur Nunc, Verificativum extrinsecum alicujus instantis intrinseci; non autem loquitur de tempore Physice sumpto, quod est mensura motus secundum prius & posterius, in eo enim quod definitivè est prius & posterius, non datur Nunc. Nunc enim indivisibile est, prius autem & posterius divisibilia sunt.

TERTIA Auctoritas est S. August. in lib. Confess. pluribus locis, cap. 15. *Præsens nullum habet spatium.* Cap. 21. *An metimur tempus in præsentis?* Cap. 26. *Non metior præsens, quia nullo spatio tenditur.* Cap. 28. *Quis negat præsens tempus cavere spatio, quia in puncto præterit.*

RESPONDETUR. Has omnes Auctoritates non plus velle, quam, quod Nunc & præsens sint quid indivisibile, sed negatur dicere Augustinum, esse id Nunc, superadditum ipsi temporis fluenti, & ipsi prius & posterius inclusio essentialiter in tempore. Vel certè loquitur August. de tempore prout est in anima, non autem de tempore Physicè spectato.

OBJICIT secundo idem. Omne finitum ex utraque parte habet primum principium, & ultimum finem, sed continuum est finitum ex utraque parte, ergo habet primum & ultimum, sed primum & ultimum sunt indivisibilia, hoc ipso enim si essent divisibilia, haberent aliud principium & alium finem.

RESPONDETUR. Imprimis in principio tenentium partes proportionales, dici potest, omne finitum sed divisibile, debere etiam habere primum in ratione divisibilis & ultimum, sed non absolute primum, non nisi autem absolute primum, est indivisibile. Alii dicerent esse illic primum æquivalenter & quoad officium, non autem primum formaliter. In nostris autem principiis dici potest, ipsum Minimum totum, esse primum, & Minimum totum, esse ultimum, non erunt tamen indivisibilia ob dicta alia.

OBJICIT tertio idem. Quia omne finitum finitur extremitate, in qua possit tangere aliud finitum, vel cum illo continuari, sed extremitates quibus duo finita se tangunt, sunt penitus indivisibiles, quando enim unus palmus tangit alium palmum, tangunt se in extremitatibus seu superficiebus, secundum verò profunditatem non se tangunt, sed id in quo se tangunt, debet contradistingui ab eo, in quo se non tangunt. Ergo superficies distinguitur à profunditate, atque adeo est indivisibilis.

RESPONDETUR. Quod attinet ad hanc propositionem. Illi palmi non se tangunt secundum profunditatem, hoc est non insinuant se sibi illæ tangentes superficies, Concedo propositionem: Non se tangunt secundum profunditatem, hoc est huic corpori tangenti trinè dimensum, adeoque dicenti profunditatem, non competit esse profundum, Nego. Si enim tangens, est

trinè dimensum, dicit profunditatem, non erit ergo indivisibile quid in profundum, quod tamen intendit objectio. Suppono autem ex dictis quod per nos eadem quantitas in quantum habet rationem averſæ, sit profundum, in quantum habet rationem converſæ, sit superficies: Sicut idè diverso respectu est acclivè & declivè.

INSTAT primò. Quando unus palmus tangit alium palmum est aliqua longitudo ac latitudo condistincta à profunditate, ergo illud quod tangit, est indivisibile.

RESPONDETUR. Ex dictis negando Antecedens. Palmus enim ille est corpus trinè dimensum, adeoque habens profundum, nec tamen illud corpus, dicens profundum, penetratur, quia ille tactus, non est per insinuationem aliquam, adeoque intreatatem, quæ arguit penetrationem, sed tangit per hoc, quod inter illud corpus dicens profundum, & inter aliud corpus dicens item profundum, nihil mediet.

INSTAT secundo. Non sufficit ad contactum in superficie, quod inter duo corpora nihil mediet: sed requiritur ut detur aliquid in quo se tangant, contradistinctum ab eo, in quo se non tangunt: hoc autem, est indivisibile.

RESPONDETUR. Nullum argumentum adferri, quod ad contactum requiratur aliquid medium inter tangens & tactum quantum.

ADDO. Distinguendas esse has in præsentis propositiones: Ly secundum profundum sit tactus; Ly quod habet profundum tangitur. Ex prima sequitur penetratio; ex secunda non sequitur, sed etiam simul excluditur ratio indivisibilis in profundum, quam adstruere arguens intendit.

INSTAT potest tertio. Posito quod tactus iste consistat in hoc, quia inter hoc & illud quanta, nihil intermediat; vel intermediare potest: quæto vel intermediat superficies inter illud profundum vel non intermediat? Si non intermediat, ergo nec hoc est profundum, nec illud superficies; Si intermediat, ergo hoc ipsum tangit, hoc autem non dicit profundum, quia tactivum, non est profundum: Si non est profundum, ergo habet indivisibilitatem in profundum.

RESPONDETUR. Pone annihilari à Deo omnia illa puncta statutiva longitudinis & latitudinis sine profunditate, quomodo illa substrata quæ erant terminata se tangunt? & quod oppositi in præsentis dicerent, idem nos dicemus. Quæro item quomodo ipsa substrata tangent illam superficiem suam? Suam inquam & non alterius palmi. Quod si dicas in nullo tangere, sed solum esse immediata, quia tactus fit per extrema, illa autem substrata independenter ab illis superficiebus non habent extrema; id immeritò dicitur, nam etiam inter illa substrata superficiebus & inter superficies nihil intercipitur, vel intercipi potest, habentq; rationem duorum, quid

ergo

ergo illis deest ne se tangant? tunc quæro quomodo se tangant: immo quæro: quomodo illud substratum tangat suam superficiem?

Directè ad instantiam dico, quòd inter profundum intermediat superficies sed non quomodocunque, sed corporis trinè dimensi: si est superficies corporis trinè dimensi, adhuc non erit exclusio profundi, consequenter nec invehetur indivisibilitas: unde ut dicebam supra tactivum quidem est profundum, adeoque non est indivisibile, sed non est tactivum secundum profundum, ut ita penetratio excludatur.

Obijcit quartò idem. Columna tangit planum secundum longitudinem non secundum latitudinem: idq; eo, quia columna secundum latitudinem est curva, planum secundum longitudinem est rectum, curvum autem non correspondet recto.

RESPONDETUR. Dictum alibi spheram perfectam repugnare, consequenter repugnat dari & columnam perfectam: itando autem in principio adlato, columna non tangit planum secundum latitudinem, ita tamen ut rangat corpus, dicens latitudinem; consequenter non tangit corpus dicens indivisibilitatem latitudinis.

INSTAT. Quidquid sit an sit possibilis columna, v. g. perfecta, tamen omnis superficies, vel est plana, vel curva, vel partim plana, partim curva, ergo dantur in illa aliquæ particule planæ & aliæ curvæ, & quidem perfecte, nam tandem debet deveniri ad partes homogeneas, istæ ergo particule perfecte planæ, & perfecte curvæ, dum se tangunt, non possunt se tangere in superficie, alioqui superficies curva congrueret planæ, quod implicat, ergò se tangunt vel in puncto vel in linea.

RESPONDETUR. Supposito, quod non possit componi quantitas ex indivisibilibus, nec linea etiam poterit componi, & tamen linea columnæ perfectæ, tangens planum perfectum, deberet componi ex indivisibilibus, hoc ipso enim esset superficies, quia divisibilis in latum, adeoque non linea. Directè ad argumentum dici potest, negando dari ulla particulas perfecte curvas, quia illæ perfecte curvæ, deberent tangere planum perfectum in puncto, consequenter planum componeretur ex indivisibilibus & ipsa curvitas, cujus oppositum alibi probatur. Tenendo autem adlatum principium dici potest, quod particule perfecte planæ, & perfecte curvæ, non possint se tangere in superficie, hoc est secundum superficiem, tangant se tamen habendo superficiem, adeoque non ad exclusionem lati.

Obijcit quintò idem. Præter tempus, quod solum est præsens ratione partis vel quasi partis, dari aliquid debet præsens ratione sui, sed nullum divisibile est præsens primo & ratione sui.

RESPONDETUR. In communibus principiis sufficit aliquid dari præsens in esse fluenti, quod autem est præsens in esse fluenti, non debet esse indivisibile. In nostris autem principiis in tempore Mathematicè spectato, seu in tempore secundum quod est in anima, datur Nunc indivisibile, in tempore autem Physicè spectato, datur Minimum motus cælorum, quod est præsens præsentialemine minima, quod tamen minimum, non est indivisibile. Vide alibi dicta.

Obijcit sextò idem. Admissis indivisibilibus omnia optimè explicantur.

Primò explicantur Definitiones, continui & contigui, atq; eorum differentia.

RESPONDETUR. Etiam non admissis punctis terminativis distinctis, continua sunt quorum extrema sunt unum, hoc est quorum neutrum dicit negationem ulterioris extensionis, contigua autem sunt, quæ dicunt hanc negationem.

SECUNDÒ. Explicatur cur heterogenea etiam si intimè permisceantur cur non continentur?

RESPONDETUR. Non tantum ipsi termini, sed nec ipsæ substantiæ illorum corporum divisibilitatesq; permisceantur, ergo hæc impermixtio reduci non potest in terminos hos superadditos.

TERTIÒ explicatur differentia variorum contactuum, qui sunt contactus in puncto, in linea, in superficie.

RESPONDETUR. Contactus in puncto tantum, in linea tantum, in superficie tantum, nulli dantur; quia nec dantur puncta tantum, &c. hinc nec hæc explicari debent, quomodo fiant.

QUARTÒ. Explicatur rectè differentia contactus adequati & inadequati.

RESPONDETUR. Non admissis punctis superadditis rectè id explicatur, si enim nihil inter totum tactivum & tactum mediet, erit contactus adequatus, si aliquid mediatè possit vel mediet, erit contactus inadequatus.

DIFFICULTAS III.

Notantur Quedam.

NOTO primò. Aristotelem dicere quòd continuum sit, cujus partes copulantur termino communi, sed per hoc non intellexit puncta continuativa distincta realiter; cum non dicat Aristoteles copulari partes continui, termino communi distincto realiter, consequenter sufficiet, ut supra dixi, salvare continuationem per continuationem formalitatem, & sicut quia in definitione hominis ponitur animal, non sequitur animal esse realiter quid superadditum, ita

† cc 3

nec

nec ex positione extremi continuativi, in definiendo continuo, sequitur distinctio ejusdem realis.

Noto secundò. Quâ ratione distinguantur continua & contigua; quia scilicet continua & contigua, quantumvis ponantur intimè præsentia, tamen contigua non important negationem & destructionem terminorum, important continua: Sed sequeturne exinde, quod materia toto mundo sparsa, sit ens continuum? Concedunt aliqui, ponuntq; distinctionem esse formarum, sed non materiæ. Sed videtur oppositum sentiendum, ponendaq; non nisi contiguatio, nam tam verè materia aquæ & valis est terminata, quam ipsum vas & aqua, & si vas & aqua sunt non nisi contigua, nec materiæ illorum erunt continua.

Noto tertio. Posse admitti quantitatem supernaturalem.

RATIO. Quæ enim in illa implicantiâ, & si datur modus existendi in loco supernaturalis, ut si res corporea tota in toto & tota in qualibet parte existat, cur non dabitur modus extendendi supernaturalis? Dantur item qualitates supernaturales, dotes item supernaturales corporis gloriosi, cur non possibilis erit etiam quantitas supernaturalis, quæ etiam sit receptivum conaturale illarum dotum, ut volunt aliqui apud recentiorum Suar.

DICES. Quantitas est proprietas materiæ, non est autem possibilis materia supernaturalis. Ergo neque quantitas supernaturalis.

RESPONDET recentior Suar: Possibilis est subsistentia supernaturalis, quæ tamen est proprietas substantiæ naturalis, cur non etiam erit possibilis supernaturalis quantitas, quamvis sit proprietas materiæ? Dici deinde potest, non quamcunq; quantitatem esse proprietatem materiæ, eamq; naturalem, sed non nisi aliquam quantitatem, eam scilicet, quam nata est ex se emanare materia, sed non eam, quæ potest educi ex materiæ potentia obedientiali.

INSTABIS ex recentiori Suar: Non videtur excogitabilis quantitas, quæ non debeat alicui materiæ; nam quæcunq; quantitas excogitabitur, hoc ipso excogitabitur, proportionata illi materia. Non est autem possibilis materia supernaturalis.

RESPONDETUR. Cur non est possibilis quantitas talis, cui non sit excogitabilis proportionata naturaliter materia, sicut est excogitabilis qualitas, nulli substantiæ proportionata.

Noto quartò. Quid sit sentiendum de hoc principio Mauri: Quod puncta terminativa non tangant partes divisibiles, sed purè terminent, nam illa se tangunt quorum extrema sunt simul, sed indivisibilia non habent extremitatem, sed sunt ipsæ extremitates, unde ad hoc ut alia se tangant, debent esse potentiâ tactiva.

Hinc etiam si nihil mediaret inter duos Angelos, adhuc non se tangunt contactu quantitativo de quo loquimur, quia non sunt potentiâ tactiva. Duo autem requiruntur, ut aliqua sint potentiâ tactiva, primò ut habeant Id Quod; secundò ut habeant Id Quo. Id Quod debet esse divisibile & habens extremitatem; Id Quo indivisibile:

Sed negari debet quod puncta terminativa si dentur, sint purè terminativa & non tactiva. Pone enim per impossibile vel possibile illa non esse unita terminabili, non terminabunt: Si autem supponantur terminare non nisi unita, quæ id facient non tangendo terminabile?

Circa hanc propositionem: Illa se tangunt quorum extrema simul. Duo distingui possunt, subjectum cujus extremum, & ipsum extremum; sicut ergo licet extrema non sint subjectum, adeoq; quorum extrema, sed ipsum extremum, tamen ipsa etiam extrema se tangunt, ita quamvis substrata terminis non dicerentur habere extrema, cur non dicentur se tangere? Videtur ergo hæc esse non nisi species tactus, si aliorum extrema sint simul, non autem ut sic ratio tactus. Immo probaret hæc ratio quod nec extrema duorum palmorum se tangant, sed solum palmi, cum extrema inter se comparata non habeant extremitatē, sed sunt ipsæ extremitates.

Quod adfert de Angelis, certum quidem est quod duo Angeli non se tangant quantitativè, sed cum habeant rationem duorum possitque nunc intercipi aliquid inter illos, nunc non intercipi, casu quo nihil intercipiatur, quid illis deerit ne se tangant? hoc sensu quod habeant se cum immediationem, qualem habent corpora tangentia, & tamen tunc non erunt extrema tangentia; si autem corpora sint materialia unum quantum & divisibile, aliud terminus quantitatis, casu quo inter illa nihil intercipi possit, quid deerit ne dicantur se tangere?

Concedo quod ad actuale tangere requiratur potentiâ tactivum; Sed restat quærere: cur substratum extremis terminativis, non potest diverso respectu esse ratio ut quod, & ratio ut quo tangentis? Et sicut duo similia non sunt tantum ratio ut quod similitudinis in communioribus nostrorum principiis, sed etiam ratio ut quo realiter loquendo, cur idem hic non eveniet?

Ex quo notato formatur jam in oppositum tale Argumentum. Substratum punctis terminativis vel tangit per alia puncta superaddita illa priora puncta terminativa: vel seipso: Si alii punctis, redibit quæstio de iisdem; Si seipso, ergo & aliam superficiem, aliudq; corpus potest tangere se ipso.

Noto quintò. Quid sentiendum de hoc? Utrum indivisibilia penetrentur cum partibus divisibilibus quas terminant. Dicit Maurus, quod propriè non penetrentur, illa enim propriè penetantur,

trantur, quæ sunt in eodem loco secundum modum essendi in loco, superficies autem sphaeræ & sphaera v.g. non sunt in eodem loco, secundum eundem modum essendi, nam sphaera est in loco tanquam clausa intra superficiem, superficies autem est in loco, tanquam claudens sphaeram intra se.

Sed imprimis inquiri potest, quid intelligatur per Ly: ea penetrantur quæ sunt in eodem loco, secundum eundem modum essendi; nam sphaera & quadratum spissitudine respondens sphaeræ, penetrari possunt, & tamen hæc duo modum essendi in loco, non eundem habebunt; Sphaera enim habet modum essendi in loco rotundum, quadratum autem, habet modum essendi planum. Quod si hic salvari potest penetratio, cur salvari non poterit in superficie punctuali & sphaera? Deinde redit difficultas, superficies punctis terminativis constans & clauderet sphaeram, ut supponitur, & non clauderet, quia penetraretur

cum illa, nam si punctum additum puncto, penetratur cum puncto, ita additum divisibili penetrat divisibile cui additur. Denique quando dicitur quod illa superficies & sphaera non penetrantur, proprie, sequitur & non penetrari proprie ut vult respondens, & penetrari proprie, quia ad hoc non aliud requiritur, nisi ut res materialis una, se tota tangat aliam rem materialem, quod tunc habetur.

Adde tamen, quod alia sit hæc propositio, tangitur corpus trine dimensionum, quod etiam est profundum; & alia hæc, tangitur secundum formalitatem & connotationem non nisi. Hæc secunda propositio est falsa, tactus enim qui est quid Physicum non fit in formalitatibus; prima autem propositio est vera, & ex veritate illius sequitur, quod non sit illic distinctio lati quod tangitur, à profundo, adeoque nec superadditio merè latitudinis.

DISPUTATIO XI.

De infinito.

PRÆMITTO primò. Antiquos apud Aristotelem 3, Phys. textu 63, definiisse olim infinitum. *Quod sit id cuius nihil est extra.* Orta postea inter recentiores lis, debeatne hæc definitio definitio: sed quod non debeat:

RATIONEM primam ponit Oviedo, quia illi qui usurpabant hanc definitionem censebant infinitum esse impossibile, cur ergo communem definitionem rejiciunt, si utraque definitio ad chimæram terminatur.

RESPONDERI potest. Homo-Leo, est Chimæra, & tamen, si homo-leonem definiat quis, quod sit mugibile, rugibile, malè definiret, sed definiendus esset quod sit animal rationale rugibile. Ergo etiam bonitas definitionis ad Chimæram se extendit. Immo in communi datur definitio & conceptus quidditativus entis rationis, nō ergo inde, quia infinitum Chimæra, est, una præ alia definitio, præligi non debet.

RATIONEM secundam ponit idem. Quia ex hac definitione sequitur dari infinitum, quod negant ita definiētes: assumptum probat: quia extra collectionem rerum possibilium nihil est extra: Ergo collectio rerum possibilium, erit infinita.

RESPONDETUR. Sicutabilia non sunt omnia actū à parte rei, ita nec sunt infinitum Categorematicum, quod solum negatur. Nec apparet, quod de hoc non egerint antiqui.

RATIONEM tertiam ponit Aristoteles: quia illud quod non debet esse extra, vel est aliquid pertinens ad infinitum, vel aliquid non pertinens: Si pertinens, tunc omne ens perfectum, erit infinitum, quia omne ens perfectum, debet habere perfectionem sibi debitam, adeoque nihil perfectionis illi debita, extra debet esse; si autem est aliquid impertinens ad infinitum, sed spectans ad aliquid aliud, mala erit definitio, quia posito uno infinito, posset poni aliud.

RESPONDERI posset: quod per ly nihil ejus est extra, debeat hoc intelligi: nempe infinitum est, quod habet omnem possibilem perfectionem in illo genere, in quo est infinitum, ex quo non sequetur, posito uno infinito, posse vel debere poni aliud.

PRÆMITTO secundò: *Duplex est infinitum, Categorematicum & Syncategorematicum.* Prius illud est, quod constat entitatibus simul positis, ex quibus actū semper accipere sit, & nunquam idem. Posterius autem est, quod constat entitatibus nunquam simul ponibilibus, ex quibus semper accipere sit, & nunquam idem. Prioris exemplum est infinitum Angelorum, si poneretur: posterioris, eternitas à parte post, de priori dubitatur, posterius infinitum omnes admittunt.

PRÆMITTO tertio: *Consentire omnes quod infinitum creatum, in Essentia, dari non possit.*